

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

SIMONIDIS CARMEN
INSCRIPTVM
ΠΕΡΙ ΓΥΝΑΙΚΩΝ
DE
MVLIERIBVS

RECENSVIT
ATQVE ANIMADVERSIONIBVS
ILLVSTRAVIT
GEORGIVS DAVID KOELER.

PRAEFIXA EST EPISTOLA
CHR. GOTTL. HEYNE.

BODLEIANA · BIBLIOTHECA

GOETTINGAE
SVMTIBVS VIDVAE VANDENHOEK
MDCCLXXXI.

VIRO CELEBERRIMO

CHRISTIANO GOTTLOB HEYNIO

S. R. MAIESTATIS A CONSILIIS AVLICIS
ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORI P. O.
PROTOBIBLIOTHECARIO
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA.
CET.

FAVTORI SVO ATQVE PRAECEPTORI
OPTIMO SVMMAQVE PIETATE COLENDO
GRATISSIMI OB MAXIMA PLVRIMAQVE
OMNI TEMPORE IN SE CVMVLATA
BENEFICIA PECTORIS PIGNVS
PARVVM HOCCE OPVSCVLVM
OFFERT
ATQVE HAS PRIMITIAS STVDIORVM SVORVM
IN PVBLICVM PRODEVNTES
D. D. D.

devotiſſimus et obſtrictiſſimus cultor
GEORGIVS DAVID KOELER.

PRAEFATIO.

Cum libellum circumſpicerem, in quo periculum facere poſſem facultatis interpretandi et diiudicandi, quam in diſciplina Heynii, Viri Summi, mihique ob maxima in me merita numquam ſatis laudandi comparaſſem, quandoquidem mihi ea, per aliquot annos inter ſodales ſeminarii philologici adſcripto, vti fruique contigit: in carmen incidi ſub nomine Simonidis vulgatum, atque inſcriptum: περὶ γυναικῶν, in quo ſermonis elegantiam ſummam nonnullamque opportunitatem, aut obſcuriora declarandi, aut de incertis et ſuſpectis locis diſputandi oblatam videbam. Conuerti itaque animum ad carmen illud iterum euulgandum et illuſtrandum. Foedis illud olim ſcatebat vitiis, donec Ill. Brunckius in Analectis ſuis carmen elegantiſſimum iterum ederet, qui ſane multa-

emaculauit. Reſtant tamen adhuc nonnulla loca, quae laborant, vnicamque medelam a bono codice expectaut. Cum porro Cl. Brunckius eorum tantum locorum variantes lectiones indicauiſſet, quae corrigendo ſanare ſuſceperat, reliquas autem ad conſilium minus facientes neglexiſſet: denuo libros conferre inſtitui, et praeter Gesneri Stobaeum, qui noſtrum carmen ſeruauit, Grotiique Florilegium Stobaei, iam a Brunckio paſſim collatum, Stephani Lyricos, inter quos noſtrum Simonidis carmen euulgatum, ad partes vocaui. Qui quidem Stephanus, etſi Gesnerum ſecutus eſſe videtur, non pauca tamen immutauit, vtrum ope codicis, an ex ingenio neſcio. Nec Wintertonum neglexi, qui in Poet. Graec. Minor., quem librum mihi in hunc vſum lubentiſſime conceſſit Kulencampius V. C., noſtrum quoque carmen dedit, nam non vbique cum aliis editoribus conſentit. Praeter hos etiam ad locum a v. 57-71 comparaui Aelianum Hiſt. Anim. XVI, 25., vbi illum exhibuit. Subinde

quoque

quoque coniecturarum Gesneri in margine Stobaei vulgatarum rationem habui. Vbi denique neque haec sufficiebant, librique male adfecta loca non sanabant: coniecturas quasdam correctionesque ex ingenio proferre sum ausus, quod, si modeste fit, iuuenile ingenium minime dedecere putaui. Varias igitur istas lectiones et correctiones singulas suis locis commemorabo. Multo tamen magis et aetati meae, et consilio conuenire arbitratus sum interpretandi diligentiam, quam recte et ad exempla praeceptaque Doctoris mei Heynii instituere, imprimis elaborandum mihi esse vidi, ita vt nihil relinquatur, quod lectori, humanitatis et doctrinae non prorsus experti, obscuritatem facere possit, nihil addatur, quod otiosum alienumque sit, vt quae omnia euitentur, quae legentis mentem et oculos ad alia auocent, quam quae cum sensu auctoris coniuncta sunt. Quodammodo tamen et ipse hanc legem migrasse videri possum: nam probe scio, multa me in meis ad hoc carmen notis disseruisse, quae proxime ad

illud non ſpectabant, et ſalua interpretatione recidi poterant, vt adeo, ſi me intra hos limites continere voluiſſem, libellus, qui nunc in tantum excreuit, vt ſeptem plagulas magnitudine excedat, dimidio plus tenuior factus eſſet. Sed praeter librarii rationes, quibus inſeruiendum erat, alia cauſa fuit, quae me permouit, vt eſſem copioſior in notando; praeuidebam enim, plerosque tirones, quibus ne notum quidem eſt carmen hocce Simonideum, libellum ſibi non eſſe paraturos, ſi breuiter et parce ſingula exponerem; imprimis cum ille in diſciplina ſcholaſtica locum vix habeat. Quare hoc potiſſimum mihi ſpectandum eſſe vidi, vt in carmine hoc edendo proprietates varias graecae linguae atque elegantias, quas pertractandi anſam dabat hocce carmen, plenius illuſtrarem. Atque poterunt obſeruationes meae, ad linguam maxime pertinentes, cum per ſe, nulla habita carminis ratione, plurimae legi poſſint, nonnullam vtilitatem iis afferre, qui graecam linguam vel ex aliis auctoribus ediſcere cupiunt.

piunt. Latior autem opera passim in nonnullis fuit propterea, quoniam considerabam, iuuenilia ingenia ita natura esse comparata, ut altius iis insideant copiosius, quam nimis praecise dicta. Quae tamen diligentius persecutus sum, ea fere sunt, quorum notitia nemo, qui graecam linguam rite cognoscere vult, facile carere potest. Sed nihilosecius admodum vereor, ne in nonnullis nimis anxius fuerim atque sollicitus, de eoque iusto forsan clementius iudicium tulit Heynius, Vir Summus, in aurea sua ad me data epistola, qua maius ornamentum libello meo sane accedere potuit nullum. Quam ut legas, Tanti Viri nomen iam satis te admonebit, nec meo praeconio et consilio indigebis. Admiraberis in ista, una cum maxima Viri Summi, mihique in aeternum omnium maxime colendi, eruditione atque acumine, vel aliunde notissimis, insignem indulgentiam, qua iuueniles meos errores tulit; nec sine maximo fructu ab eius lectione discedes. Sed hactenus de modo, quem in illustrando carmine sum secutus, nec

amplius aliquid erit monendum, niſi de noua, quam confeci, verſione. Ea a me quodammodo requiri videbatur; nulla enim interpretum verſio lectori ſatisfacere poteſt: Grotiana ſcilicet, metri legibus incluſa, nimis longe a verbis recedit; Gesneri, Buchanani et Wintertoni verſiones non raro a poetae ſententia aberrant, cum verba eius minus emendata ante oculos haberent, atque adeo lectorem non ſatis cautum in errorem inducunt. In vertendo autem verſatus ſum ſic, vt elliptice aut obſcurius a poeta expreſſa aut ſupplerem, aut paullulum diſertius interpretarer. Haec quidem de conſilio, quod mihi ſequendum eſſe putaui, dicta, qui me legunt, aequi bonique vt conſulant, rogo.

EPI-

EPISTOLA
CHR. GOTTL. HEYNE
AD AVCTOREM.

Attuliſti ad me, humaniſſime Koelere, doctrinae Tuae Specimen meque rogaſti, vt ingenuae Tuae, ſeu timiditati, ſeu verecundiae conſulerem, Teque nunc primo ingenii doctrinaeque ſpecimine periclitantem commendatione qualicunque mea iudicioque ſubleuarem. Qua in re etſi, quam alienus ab toto hoc ſcriptionis genere ſim, iam alias ſignificaui, nec mihi tantum arrogo, vt mea ſuffragatione multum Tibi praeſidii paratum fore exiſtimem, nec Te ita ſtatuere arbitror, vt viros doctos elogii mei in fronte praefixi ſequi fidem, quam libelli ipſius dotes ac virtutes cognoſcere, et iudicium inde ſuum conſtituere malis: nolui tamen aut precibus Tuis deeſſe

deeſſe, aut officio meo. Nam, ſi ad officium maiorum natu omnino pertinet, vt conſilio, fide, auctoritate, iuuent ac regant iuniores: doctrinae noſtrae alumnos a nobis in coetum quaſi virorum doctorum et conſeſſum deduci, non modo non inuidioſum, verum etiam rectum ac laudabile haberi, et optimi cuiusque iudicio comprobari debet. Inprimis vero in hoc ſtudiorum genere, in quo Tu nunc prodis, amici opera eo magis exoptanda eſſe videtur, quo maturior in virorum doctorum ora prodeundi neceſſitas et conſilium incidere ſolet. Cum enim in aliis ſtudiorum generibus conſtitutae ſint experiundi et explorandi viae ac modi certi, quibus ingenii ſui ac doctrinae fidem facere, ſuorumque profectuum rationem reddere poſſit is, qui munus publicum petere et ambire voluerit; cum, qui religioſo coetui regendo praefici cupiat, publice e ſuggeſtu verba faciendo et examina ſollennia ſubeundo hominum de ſe exiſtimationem, iudicium et ſuffragium, pro merito ſuo facile conſequi poſſit:

in hoc disciplinarum genere, in quo qui versantur, docendis litteris humanioribus, erudiendae iuuentuti, muneri scholastico vel academico obeundo se parant, quo tandem ii modo in notitiam venire possunt eorum, quorum iudiciis ac curis creditus est ingeniorum dilectus, nisi forte scriptione aliqua ac libello in vulgus edito? Equidem etsi alias infestissimus huic prurigini, studia cruda in vulgus propellendi, in hoc tamen genere nimis acerbe cum quopiam agere nolim. Veniunt quodammodo haec commentandi et differendi pericula in censum disputationum academicarum, in quibus plerumque non tam id quaeritur, vt disciplinis noua aliqua paretur accessio, quam vt sui quisque ingenii suaeque doctrinae specimen proponat. Nolui itaque, ornatissime Koelere, absterrere Te, aut reuocare a consilio, quod Te non modo iniisse, verum iam tantum non explicuisse mihi narrabas, cum in carmine Simonideo ingenii Te Tui vires experiri, ac fautoribus patronisque studia Tua approbare

velle

ſubeſſet omnis familia, etiam liberi et vxor; vtque feminae, quoad viuerent, in manu ac poteſtate eſſent, ſeu patris, eoque mortuo fratrum, aut cognatorum, ſeu, ſi nuptae eſſent, mariti. Neque aliter ſe res habuit apud Romanos antiquioribus duntaxat ſeculis. Altera cauſſa et origo peti poſſe videtur ex liberarum ciuitatum inſtitutis. Cum in Senatu et in comitiis, quicquid ad rem publicam ſpectaret, diſceptaretur, atque adeo in publico ac foro maiorem diei partem contererent viri: ipſa res monebat, vt interea continerent feminas domi easque ſecluderent; neque, cum reliquo tempore armis aut ludis gymnicis viri vacarent, mulieres vt intereſſent virorum coetibus, cauſſa erat idonea. At quoties ſacra, religiones, ludi, pompae, ſpectacula cuiuscunque generis celebrabantur, mulieres niſi grauior cauſſa intercederet, admittebantur. Iam mulieres in gynaeceo incluſae cum inter ſeruulas, ſeu opus faciendo, ſeu minutis et leuibus curis vacando vitam exigerent: quis miretur ingenia earum ad frí-

vola

vola et illiberalia esse depressa, et vitiis iis, quae Simonides in hoc carmine descripsit, inquinata, quippe quae vel ex seruularum contuberniis tanquam contagio duci debuere. Nam in institutione puerilis aetatis inter populos, qui mancipiis vtuntur, ad mores ac sensus fingendos ac diffingendos mancipiorum operam et consuetudinem vim magnam habere necesse est; id quod exemplo eorum intelligitur, qui in iis locis nati educatique sunt, in quibus seruorum aut hominum propriorum familiae haberi solent; vt vix intelligas satis, quomodo inter Graecos ac Romanos adolescens, sub paedagogi cura ac tutela habitus, mores sordidos ac seruiles quo minus indueret, caueri potuerit. Quod illiberalis dictorum licentia, et scurriles, impuri ac flagitiosi ioci, in comoedia inprimis vetere, non intolerabiles visi sunt Athenienſibus ac Romanis, ex hoc maxime seruorum contubernio repetendum esse arbitror. Iam mulierum ingenia, naturae sorte viuida, levia ac mobilia, ancillarum seu ex barbaris

Athenas aduectarum, ſeu domi inter ceteras ſuae ſortis natarum, moribus contaminata eſſe quis miretur, inprimis ſi mulierum in gynaeceis per Aſiam habitarum vitam iris, odiis, iurgiis, peſſimisque omnis generis ſtudiis vexatam recordetur? Haec tanta vitae domeſticae diuerſitas, ſi cum noſtra compares, diuerſitatem quoque vitiorum ac virtutum afferre debuit: virorum quoque animaduerſionem acerbiorem minusque liberalem.

Quae ſi quis apud animum ſuum reputauerit, aſſequatur ille, quomodo fieri potuerit, vt cum in aliis veterum, Euripidis inprimis, locis, tum in hoc Simonideo carmine, mulierum ingenia adeo flagitioſa, et quidem oratione tam parum verecunda et liberali, deſcripta ſint. Ipſa mulierum vitia, quae ab immundis animantibus petuntur, vitam illorum temporum domeſticam, eiusque corruptelas, non tam ab hominum ingeniis, quam ex inſtitutorum et vitae publicae priuataeque ratione profectas, arguunt. Ita mulierum in gynaeceo deſidentium ingenia ad

ſocor-

ſocordiam, luxuriam, immunditiem, proniora eſſe neceſſe eſt; quae autem viuidiora et acriora ſunt, cum in tenuibus et exilibus curis, inter ſeruarum et concubinarum rixas et bella, contineantur, canina rabie inſanire nemo miretur.

Iam cum Tu, doctiſſime Koelere, in hoc carmine operam Tuam collocaueris, de doctrina Tua iudicium erit penes viros doctos et intelligentes: mihi quidem occurrere viſus eſt bonae interpretationis vſus et peritia haud vulgaris, graeci ſermonis eiusque elegantiarum, dictionis exquiſitae et doctae, ſiue a viris eruditis illuſtratae, ſiue a Te obſeruatae, cognitio accurata, ſtudii aſſiduitate, quam paucorum adoleſcentum ingenia ferunt, parata, tum lectionis variae copia, veterum ſcriptorum optimorum familiaritas, latinitas haud ſpernenda. Ne vero ii, qui nos legunt, in ſuſpicionem incidant, me non tam ex ipſa re iudicium facere, quam ſtudio potius Tui abreptum ita cenſere, commemorabo nonnulla, quae inter legendum libellum

Tuum occurrerunt mihi animaduertenda; ita tanto maior fides erit iis, quae laudanda esse dixi. Nam quod nonnulla, de quibus inter viros doctos nulla est dubitatio, tam sedulo et anxie disceptantur, quodque virorum doctorum auctoritate et lectionis copiis multa iam satis constituta firmas, equidem non reprehendenda, sed aetati Tuae et speciminis huius consilio condonanda arbitror.

Carmen, quod Tibi illustrandum sumsisti, non modo excusari a Te, verum etiam laudari ac probari, feram hactenus, si antiquitatem eius ac simplicitatem, orationis elegantiam et grauitatem, praedicandam esse putaveris. Quod poetae ingenium et artem virtutemque poeticam commendare allaboras: in eo vix assentientem habebis me. Siue enim inuenti felicitatem, siue tractationis artem respicias, in neutro poeta magnam sibi parauit laudem. Ab animantibus repeti vitia, res sane erat satis obuia: sed expectares, vt bonum faceret dilectum, et ad morum diuersa genera diuersa animantium ingenia disponeret ac collocaret. At ille non modo haec parum curae habuit; verum iudicio vix probando interposuit etiam ingenia ex terra et ex mari nata (v. 21. 27.). Interea, vt hoc attingam, occurrunt animantium proprietates forte iis ipsis, qui in naturae cognoscen-

ſcendae ſtudiis verſantur, cognitu haud iniucundae. Ita γαλῆ, e muſtelarum genere haberi ſolita, alienior a venere, furax et rapax eſſe narratur. (v. 50 ſq.).

Multum abeſſe, vt carmen, Stobaei excerptoris opera nobis ſeruatum, integrum nos habere putare poſſimus, vt potius magna eius pars intercidiſſe videri debeat, nullus dubito: nec modo ſub finem; verum in ipſo quoque principio. Nam poetae ſententia nulla alia eſſe potuit, quam haec: feminarum originem eſſe non vnam: ſed ſi ingenia et mores intuearis, videri eas prognatas a diverſis animantibus. Ad haec tamen quo minus refingi poſſit primus verſus, vetat hoc, quod olim plures praeceſſiſſe verſus probabile fit, cum quibus coagmentata erat verſus primi ſententia. Nam vt nunc eſt, quocunque Te vertas, rem parum expedies.

De vſ. 25. lectione nondum habeo, quod ſtatuam. κοὔτ' ἄν vecordiam ſummam et vix credibilem in muliere guloſa prodit. Alterum χώταν lenius: ventri dedita eſt et deſidiae, adeoque per hiemem foro aſſidet.

Verſus 28 ſqq. bene a Te ſunt conſtituti, inprimis verſus 32. lectio. Verum quod verſum 43.

Τὴν δ' ἔκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ὄνου

metro laborantem p. 78. 79. ita defendi poſſe putas, vt σποδιῆς ſyllabis duabus proferatur, id quidem a reliqui carminis nitore et laeuore nimis abhorrere cenſeo: inprimis cum alio verborum ordine facile occurri potuiſſet:

Τὴν δ' ἐξ ὄνου σποδιῆς τε καὶ παλιντριβοῦς.

Quod ad ipſum colorem attinet, cineritium illum eſſe, nemo dubitet; ſed an *giluum* colorem recte interpretatus ſis, etſi Salmaſium in Solin., et viros doctos ad Picturas Herculan. T. I. p. 131. auctores habebas, habeo cur dubitem: hunc enim aliter explicant grammatici ad Virgilii locum Ge. I, 82. vt ſit melleo proximus, neque cauſſam idoneam, cur eos deſeram, video.

Vſ. 45. non magis Simonidea Muſa dignus videtur:

ἢ σύν τ' ἀνάγκῃ σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
ἔρεξεν οὖν ἅπαντα καὶ πονήσατο
ἀρεστά.

Scabra oratio, et ieiuna: ἔρεξεν οὖν ἅπαντα. nec ὦν vel ὧν aſperitatem mitigat. Si diuinationi locus eſt, in ἅπαντα latere videntur ἀσπαστά, quae eadem ſunt, quae ἀρεστά. Forte ſententia procedet: ne grata quidem ſibi et iucunda peragere ſuſtinet, οὐδ' ἀσπαστὰ καὶ ἀρεστά.

Vſ. 58.

Vſ. 58. περιτρέπει bene mutandum cenſes in παρεκτρέπει. Mox v. 61. malim οὔτ' ἂν πρὸς ἴπνον — ἵζοιτ. ἀνάγκη δ' ἀ.

Vſ. 79. οὐδέ οἱ γέλως μέλει. Alienum eſſe videtur hoc et a ſimiae, et a mulieris, quae hic deſcribitur, ingenio: malitioſa et χαιρέκακος illa eſt; forte igitur leg. ἀεὶ δέ οἱ γέλως μέλει.

Quae ſequuntur inde a vſ. 94 ad f. partim hiulca et luxata, partim corrupta et interpolata, ſeu exſcriptoris, ſeu librarii culpa eſſe, recte vidiſti; et in iis reſtituendis fruſtra laboret aliquis. Omnino Ioannes Stobenſis ea multis omiſſis per interualla exſcripſiſſe videtur: ita vt non pro continuo carmine, ſed pro excerptis e medio verſibus, nec, vt ſuſpicor, ex vno Simonide, habeam reliqua. Neque adeo ſententiarum nexus in iis eſſe vllus poteſt. In v. 95. ἔστιν τε πάντα latere poteſt πῆμα. Vſ. 98. tollendum eſſe Tecum cenſeo; ſed idem arbitror inſititium eſſe v. 100. ἅπασαν, ὅστις σὺν γυναικὶ πέλεται: qui et ipſe metro vacillat: etſi a Brunckio, ſeueriſſimo in aliis iudice, ferri verſum quamuis putidum videam. Verum et ipſe v. 96. ζεὺς γὰρ μέγιστον, mox iterum appoſitus v. 115., plura in h. l. illata eſſe docet: iunctura enim eſſet multo melior,

ſi

ſi poſt καὶ παρ' ἀνδρασι μένει, ſequeretur: ζεὺς γὰρ — καὶ δέσμον ἀμφέθηκεν &c.

In 110 duriſſimam rationem iniiſti interpretationis, etſi viros doctos, et in his acutiſſimum Brunckium ſequutus, κεχηνότος γὰρ ἀνδρός. *oſcitante nimirum marito.* Lenior eſſet oratio, ſi γ' ἄρ' ſcriberes, aut γὰρ eodem loco poſitum diceres: ſed praefero alterum a Te ex Wintertono notatum κεχηνότος μεν ἀνδρός. A v. 112 alia procedit ſententia, in qua nec μεμνημένος ſanum eſſe arbitror; iterum nouum fragmentum a v. 115 ζεὺς γὰρ μ.

Haec quidem, inter alias occupationes recenſenti plagulas a Te mihi oblatas, occurrebant. Tu, optime Koelere, eo, quo adhuc es ingreſſus, curſu perge, et cum lectionis aſſiduitate docendi quoque alios priuata, mox publica opera, facultatem et vſum Tibi para. Ita nec Tu fortunae, nec fortuna deerit Tibi, efficiesque, vt quod ab auo et parente clarum inter viros doctos nomen Tibi eſt hereditate transmiſſum, Tua virtute multo magis illuſtretur. Scr. Gottingae die XXVIII. Aprilis cIↃ IↃ CC LXXXI.

DE

DE AVCTORE CARMINIS.

Cum extra omnem dubitationem poſitum ſit, plures fuiſſe Simonides, quod teſtatur Suidas ſub voce Σιμωνίδης, et accuratius declarat van Goens in Diſſert. de Simonide; quandoquidem, praeter celebriorem Simonidem, Leoprepis filium, Ceum, nomine Lyrici inſignitum, alium, illius nepotem, non minus Ceum et illum floruiſſe, certe conſtat, praeterea tertii alicuius Simonidis cognomine Amorgini mentio fit, quem Archilochi aetate vixiſſe aiunt, oriundum ex Amor-

go vna ex Cycladibus (v. Fabricius Bibl. Graec. II, 15. pag. 595.): non temere in controuerſiam venit, quinam auctor huius carminis ſit, Simonidi, nusquam tamen cognomine addito, tributi. Etſi rem ad liquidum perducere non licet, cum omnia, quae afferuntur, meris coniecturis nitantur: ſatis tamen probabilis eſt ea opinio, quam Boiſſy (*) et Ill. Brunck. in Anal. ad Simonidis carmen Nro. LXXVII. pag. 23. proferunt, dum Simonidem Amorginum noſtri carminis auctorem exiſtimant. Ratio certe non deeſt huic opinioni. Cum enim carmen noſtrum iambicum ſenarium ſit, Amorginus autem ſaepe ἰαμβογράφος a veteribus appellari ſoleat: eundem etiam noſtrum carmen compoſuiſſe, veri haud abſimile videtur. Huc accedit, quod omnes

(*) In *Hiſtoire de Simonide* pag. 272 ſq.

omnes verſus iambici ex Simonideis carminibus gnomici ſunt argumenti noſtrique valde ſimiles tam argumento quam ſtilo totoque alio habitu, diuerſi vero a carminibus, quae Simonidis Cei eſſe ſcimus, mihi quidem eſſe videntur, etſi hoc pluribus vt perſequar, hic locus non eſt. Ceterum ſtilus noſtri carminis, Homerico ſimillimus, atque ſimplicitas eius tam antiquo ſcriptore, qualis Amorginus fuit, haud indigna videtur.

ARGVMENTVM CARMINIS.

Argumentum noſtri carminis verſatur circa mulieres et quidem totius ſexus feminei ingenium, praeſertim autem circa ſingularum feminarum vitia percenſenda atque deſcribenda. Genus muliebre vniverſe ſpectatum malum eſſe, dictum inter veteres celebratiſſimum poeta probare videtur. Iam hoc ita exequi poterat poeta, vt ſimpliciſſimo modo feminarum vitia deſcriberet. Sed hoc prudenter noluit facere, praeuidebat enim, quantum ſic venuſtati carminis decederet. Aliam igitur inſtitit viam. Singulas nempe feminas, quarum diuerſa inter ſe vitia deinceps perſtringit, cum ſingulis animantibus comparat, quibus eadem illa vitia a

natura

natura insita esse illo tempore putabantur. Neque haec comparatio absque poetico more instituitur. Pro simplici enim, quod dicendum erat: similes sunt feminae huic vel illi animali, multo magis poeticum posuit: factas aut natas esse feminas ex illis animantibus. Ad hunc modum, singula cum singulis componens, in descriptione feminarum aliarum aliis vitiis affectarum vsque ad versum 83 descendit indeque a v. 83-94. bonam aliquam addit. Tum quaedam vniuerse dicta de damno atque aerumna, quibus malae feminae afficere soleant maritos, subiungit. Sic carmen videtur a poeta simpliciſſime descriptum, in quo, si attente legas, simplicitatem quandam et antiquitatem, quae iam e singulari carminis habitu satis patet, humanorum morum et re-

rum

rum peritiam, cum ſermonis proprietate atque elegantia, ſtatim cognoſcas. Quodſi vero illa comparatio ad noſtri ſeculi ſenſum non ſatis bene atque eleganter inſtituta eſſe videbitur: tales comparandi rationes antiquitatis ingenio, a noſtro longe diuerſo, condonare fas eſt. Ceterum noſtrum carmen, inſcriptum περὶ γυναικῶν, non ſingulare aliquod eſſe poema, ſed potius a librariis inſcriptio illa profecta eſſe videtur. Eſt iſtud forſan pro fragmento maioris carminis gnomici habendum, vnde ea, quae ad feminas ſpectabant, decerpta ſub hoc titulo proponi coepere. Et ſane plura fragmenta eiusdem metri, argumenti gnomici, inter Simonidea carmina occurrunt, et, ni fallor, olim particulam huius ipſius carminis conſtituerunt verſiculi duo, adeo-

que

que haud dubie etiam Simonidi Amorgino debentur. Extant apud Brunck. V. Cel. in Anal. Tom. I. p. 124. nro. XVI.

Γυναικὸς ἐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ λῃΐζεται
Ἐσθλῆς ἄμεινον, ἐδὲ ῥίγιον κακῆς.

Phocylides ap. Brunck. Tom. I. p. 77. nro. IV. noſtrum carmen quaſi in epitomen coegit. Non pigebit carmen illud noſtro ſane ſimillimum huc adſcribere:

— — — τετόρων ἀπὸ τῶνδε γίνονται
Φῦλα γυναικείων· ἡ μὲν κυνὸς, ἡ δὲ μελίσσης,
Ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς, ἡ δ' ἵππου χαιτηέσσης·
Εὔφορος ἡ δὲ, ταχεῖα, περίδρομος, εἶδος ἀρίστη·
Ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς, ἔτ' ἄρ' κακὴ ἐδὲ μὲν ἐσθλή·
Ἡ δὲ κυνὸς, χαλεπή τε καὶ ἄγριος· ἡ δὲ μελίσσης
Οἰκονό-

Οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ, καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι,

Ἧς ἔυχου, φίλ' ἑταῖρε, λαχεῖν γάμου ἱμερόεντος.

ΠΕΡΙ ΓΥΝΑΙΚΩΝ.

Χωρὶς γυναικὸς θεὸς ἐπάισεν νόον
Ταπρῶτα· τὴν μὲν ἐξ ὗΟΣ τανύτριχος,
Τῇ πάντ' ἀν' οἶκον, βορβόρῳ πεφυρμένα,
Ἄκοσμα κεῖται, καὶ κυλινδεῖται χαμαί·
Αὐτὴ δ' ἄλουτος ἄπλυτός τ' ἐν εἵμασιν,
Ἐν κοπρίοισιν ἡμένη πιαίνεται.

Τὴν δ' ἐξ ἀλιτρῆς θεὸς ἔθηκ' ΑΛΩΠΕΚΟΣ
Γυναῖκα, πάντων ἴδριν· οὐδέ μιν κακῶν
Λέληθεν οὐδέν, οὐδὲ τῶν ἀμεινόνων·
Τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστι πολλάκις κακόν,
Τὸ δ' ἐσθλόν· ὀργὴν δ' ἄλλοτ' ἀλλοίην ἔχει.

Τὴν δ' ἐκ ΚΥΝΟΣ λιτουργὸν, αὐτομήτορα,
Ἣ πάντ' ἀκοῦσαι, πάντα δ' εἰδέναι θέλει,
Πάντῃ δὲ παπταίνουσα, καὶ πλανωμένη,
Λέληκεν, ἢν καὶ μηδὲν ἀνθρώπων ὁρᾷ.
Παύσειε δ' ἄν μιν εἴ τ' ἀπειλήσας ἀνὴρ,
Οὐδ', εἰ χολωθεὶς ἐξαράξειεν λίθῳ
Ὀδόντας, οὐδ' ἂν μειλίχως μυθεύμενος,
Οὐδ', εἰ παρὰ ξείνοισιν ἡμένη τύχῃ·
Ἀλλ' ἐμπεδῶς ἄπρηκτον αὐονὴν ἔχει.

Τὴν δὲ πλάσαντες ΓΗΙΝΗΝ Ὀλύμπιοι,
Ἔδωκαν ἀνδρὶ πόνηρον· ἔτε γὰρ κακὸν,
Οὐτ' ἐσθλὸν οὐδὲν οἶδε τοιάυτη γυνὴ,
Ἔργον δὲ μοῦνον ἐσθίειν ἐπίσταται·
Κ' οὕτ', ἂν κακὸν χειμῶνα ποιήσῃ θεὸς,
Ῥιγῶσα δίφρον ἆσσον ἕλκεται πυρός.

Τὴν δ' ἐκ ΘΑΛΑΣΣΗΣ ἐν φρεσίν γ' ἤδη νόει·
Τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην·
Ἐπαινέσει μὲν ξεῖνος ἐν δόμοις ἰδὼν·
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λωΐων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, ἠδὲ καλλίων·
Τὴν δ' ἐκ ἀνεκτὸς ἔδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν,
Οὐτ' ἆσσον ἐλθεῖν, ἀλλὰ μαίνεται τότε
Ἄπλητον, ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισιν κύων·
Ἀμείλιχος δὲ πᾶσι καὶ ποθύμιος,
Ἐχθροῖσιν ἴσα καὶ φίλοισιν, γίνεται·
Ὥσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
Ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναυτίῃσιν μέγα,
Θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
Βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη·
Ταύτῃ μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ
Ὀργὴν, φυὴν δ' ὡς πόντον ἀλλοίην ἔχει.

Τὴν

Τὴν δ' ἔκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ΟΝΟΥ,
Ἡ σύν τ' ἀναίγκῃ, σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
Ἔρεξεν οὖν ἅπαντα καὶ πονήσατο·
Ἀρεστά· τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ
Προνὺξ, προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ,
Ὁμῶς δὲ καὶ, πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἐλθόντ', ἑταῖρον ὀντινοῦν ἐδέξατο.

Τὴν δ' ἐκ ΓΑΛΗΣ, δύσηνον, οἰζυρὸν γένος.
Κείνῃ γὰρ οὐτι καλὸν, οὐδ' ἐφίμερον
Πρόσεστιν, οὐδὲ τερπνὸν, οὐδ' ἐραάσμιον·
Εὐνῆς δ' ἀδηνὴς ἐστιν ἀφροδισίης,
Τὸν δ' ἄνδρα τὸν συνόντα ναυσίῃ διδοῖ·
Κλέπτουσα δ' ἔρδει πολλὰ γείτονας κακὰ,
Ἄθυστα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.

Τὴν δ' ΙΠΠΟΣ ἀβροχαίτεσσ' ἐγείνατο,
Ἡ δούλι' ἔργα καὶ δύην περιτρέπει,
Κ' οὔτ' ἄν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
Ἄρειεν, οὐτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι,
Οὐτε πρὸς ἵπνον, ἀσβόλην ἀλευμένη,
Ἴζοιτ', ἀναίγκῃ δ' ἄνδρα ποιεῖται φίλον·
Λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἅπο ῥύπον
Δὶς, ἄλλοτε τρὶς, καὶ μύροις ἀλείφεται.

Ἀεὶ

Τὴν δὲ πλάσαντες ΓΗΙΝΗΝ Ὀλύμπιοι,
Ἔδωκαν ἀνδρὶ πόνηρον· ἔτε γὰρ κακὸν,
Οὐτ' ἐσθλὸν οὐδὲν οἶδε τοιαύτη γυνή,
Ἔργον δὲ μοῦνον ἐσθίειν ἐπίσταται·
Κ' οὔτ', ἂν κακὸν χειμῶνα ποιήσῃ θεὸς,
Ῥιγῶσα δίφρον ἆσσον ἕλκεται πυρός.

Τὴν δ' ἐκ ΘΑΛΑΣΣΗΣ ἐν φρεσίν γ' ἤδη νόει·
Τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην·
Ἐπαινέσει μὲν ξεῖνος ἐν δόμοις ἰδών·
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λωΐων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, ἠδὲ καλλίων·
Τὴν δ' ἐκ ἀνεκτὸς ἔδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν,
Οὐτ' ἆσσον ἐλθεῖν, ἀλλὰ μαίνεται τότε
Ἄπλητον, ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισιν κύων·
Ἀμείλιχος δὲ πᾶσι καὶ ποθύμιος,
Ἐχθροῖσιν ἴσα καὶ φίλοισιν, γίνεται·
Ὡσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
Ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα,
Θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
Βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη·
Ταύτῃ μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ
Ὀργήν, φυὴν δ' ὡς πόντον ἀλλοίην ἔχει.

Τὴν

Τὴν δ' ἔκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ΟΝΟΥ,
Ἡ σύν τ' ἀναίγκῃ, σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
Ἔρεξεν οὖν ἅπαντα καὶ πονήσατο
Ἀρεστά· τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ
Προνύξ, προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ,
Ὁμῶς δὲ καὶ, πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἐλθόντ', ἑταῖρον ὀντινοῦν ἐδέξατο.

Τὴν δ' ἐκ ΓΑΛΗΣ, δύσηνον, οἰζυρὸν γένος.
Κείνῃ γὰρ οὐτι καλὸν, οὐδ' ἐφίμερον
Πρόσεστιν, οὐδὲ τερπνὸν, οὐδ' ἐράσμιον·
Ἐυνῆς δ' ἀδηνὴς ἐστιν ἀφροδισίης,
Τὸν δ' ἄνδρα τὸν συνόντα ναυσίῃ διδοῖ·
Κλέπτουσα δ' ἔρδει πολλὰ γείτονας κακὰ,
Ἄθυστα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.

Τὴν δ' ΙΠΠΟΣ ἀβροχαίτεσσ' ἐγείνατο,
Ἡ δούλι' ἔργα καὶ δύην περιτρέπει,
Κ' οὔτ' ἄν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
Ἄρειεν, οὐτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι,
Οὐτε πρὸς ἵπνον, ἀσβόλην ἀλευμένη,
Ἴζοιτ', ἀναίγκῃ δ' ἄνδρα ποιεῖται φίλον·
Λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἅπο ξύπον
Δὶς, ἄλλοτε τρὶς, καὶ μύροις ἀλείφεται.

Ἀεὶ

Τὴν δὲ πλάσαντες ΓΗΙΝΗΝ Ὀλύμπιοι,
Ἔδωκαν ἀνδρὶ πόνηρον· ἔτε γὰρ κακὸν,
Οὐτ' ἐσθλὸν οὐδὲν οἶδε τοιαύτη γυνὴ,
Ἔργον δὲ μοῦνον ἐσθίειν ἐπίσταται·
Κ' οὔτ', ἂν κακὸν χειμῶνα ποιήσῃ Θεὸς,
Ῥιγῶσα δίφρον ἆσσον ἕλκεται πυρός.

Τὴν δ' ἐκ ΘΑΛΑΣΣΗΣ ἐν Φρεσὶν γ' ἤδη νόει·
Τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην·
Ἐπαινέσει μὲν ξεῖνος ἐν δόμοις ἰδών·
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λωΐων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, ἠδὲ καλλίων·
Τὴν δ' ἐκ ἀνεκτὸς ἔδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν,
Οὐτ' ἆσσον ἐλθεῖν, ἀλλὰ μαίνεται τότε
Ἄπλητον, ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισιν κύων·
Ἀμείλιχος δὲ πᾶσι καὶ ποθύμιος,
Ἐχθροῖσιν ἴσα καὶ φίλοισιν, γίνεται·
Ὡσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
Ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα,
Θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
Βαρυκτύποισι κυμασιν Φορευμένη·
Ταύτῃ μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ
Ὀργὴν, φυὴν δ' ὡς πόντον ἀλλοίην ἔχει.

Τὴν

Τὴν δ' ἔκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ΟΝΟΥ,
Ἣ σύν τ' ἀναίγκῃ, σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
Ἔρεξεν οὖν ἅπαντα καὶ πονήσατο
Ἀρεστά· τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ
Προνύξ, προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ,
Ὁμῶς δὲ καὶ, πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἐλθόντ', ἑταῖρον ὀντινοῦν ἐδέξατο.

Τὴν δ' ἐκ ΓΑΛΗΣ, δύσηνον, οἰζυρὸν γένος.
Κείνῃ γὰρ οὐτι καλὸν, οὐδ' ἐφίμερον
Πρόσεστιν, οὐδὲ τερπνὸν, οὐδ' ἐραίσμιον·
Εὐνῆς δ' ἀδηνὴς ἐστιν ἀφροδισίης,
Τὸν δ' ἄνδρα τὸν συνόντα ναυσίῃ διδοῖ·
Κλέπτουσα δ' ἔρδει πολλὰ γείτονας κακὰ,
Ἄθυστα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.

Τὴν δ' ΙΠΠΟΣ ἀβροχαίτεσσ' ἐγείνατο,
Ἣ δούλι' ἔργα καὶ δύην περιτρέπει,
Κ' οὔτ' ἄν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
Ἄρειεν, οὐτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι,
Οὐτε πρὸς ἵππον, ἀσβόλην ἀλευμένη,
Ἴζοιτ', ἀνάγκῃ δ' ἄνδρα ποιεῖται φίλον·
Λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἅπο ξύπον
Δὶς, ἄλλοτε τρὶς, καὶ μύροις ἀλείφεται.

Ἀεὶ

Ἀεὶ δὲ χαίτην ἐκτενισμένην Φορεῖ,
Βαθεῖαν, ἀνθέμοισι ἐσκιασμένην.
Καλὸν μὲν οὖν θέημα τοιαύτη γυνὴ
Ἄλλοισι, τῷ δ' ἔχοντι γίνεται κακόν,
Ἢν μή τις ἢ τύραννος, ἢ σκηπτοῦχος ἦ,
Ὅστις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται.

Τὴν δ' ἐκ ΠΙΘΗΚΟΥ· τοῦτο δὴ διακριδὸν
Ζεὺς ἀνδράσιν μέγιστον ὤπασεν κακόν.
Αἰσχίστα μὲν πρόσωπα τοιαύτη γυνὴ
Εἶσιν δι' ἄστεος πᾶσιν ἀνθρώποις γέλως,
Ἐπ' αὐχένα βραχεῖα κινεῖται μόγις,
Ἄπυγος, αὐτόκωλος, ἃ τάλας ἀνὴρ,
Ὅστις κακὸν τοιοῦτον ἀγκαλίζεται·
Δήνεα δὲ πάντα καὶ τρόπους ἐπίσταται
Ὥσπερ πίθηκος, οὐδέ οἱ γέλως μέλει,
Οὐδ' ἄν τιν' εὖ ἔρξειεν, ἀλλὰ τοῦθ ὁρᾷ,
Καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέρην βουλεύεται,
Ὅκως τι, χ' ὡς μέγιστον, ἔρξειεν κακόν.

Τὴν δ' ἐκ ΜΕΛΙΣΣΗΣ· τήν τις εὐτυχεῖ λαβών·
Κείνη γὰρ οἴη μῶμος οὐ προσιζάνει·
Θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς καὶ ἀπαέξεται βίος·

Φίλη

Φίλη δὲ σὺν Φιλεῦντι γηράσκει πόσει,
Τεκοῦσα καλὸν κοὐνομάκλυτον γένος,
Καριπρεπὴς μὲν ἐν γυναιξὶ γίγνεται
Πάσῃσι, θεία δ' ἀμφιδέδρομεν χάρις·
Οὐδ' ἐν γυναιξὶν ἥδεται καθημένη,
Ὅκου λέγουσιν ἀφροδισίους λόγους.
Τοίας γυναῖκας ἀνδράσιν χαρίζεται
Ζεὺς τὰς ἀρίστας καὶ πολυφραδεστάτας.

Τὰ δ' ἄλλα φῦλα ταῦτα μηχανῇ Διὸς
Ἔστιν τε πάντα, καὶ παρ' ἀνδράσιν μένει·
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακὸν
Γυναῖκας· ἤν τι καὶ δοκῶσιν ὠφελεῖν,
Ἔχοντι τῷ μάλιστα γίνεται κακόν·
Οὐ γάρ κοτ' εὔφρων ἡμέρην διέρχεται
Ἅπασαν, ὅστις σὺν γυναικὶ πέλεται.
Οὐδ' αἶψα Λιμὸν οἰκίης ἀπώσεται,
Ἐχθρὸν συνοικητῆρα, δυσμενέα θεόν.
Ἀνὴρ δ' ὅταν μάλιστα θυμηδεῖν δοκῇ
Κατ' οἶκον, ἢ θεοῦ μοῖραν, ἢ ἀνθρώπου χάριν,
Ἐυροῦσα μῶμον ἐς μάχην κορύσσεται.
Ὅκου γυνὴ γὰρ ἐστὶν, οὐδ' ἐς οἰκίαν
Ξεῖνον μολόντα προφρόνως δεχοίατο.

Ἥτις

Ἥτις δέ τοι μάλιστα σωφρονεῖν δοκεῖ,
Αὐτη μέγιστα τυγχάνει λωβωμένη.
Κεχηνότος γὰρ ἀνδρὸς, οἱ δὲ γείτονες
Χαίρουσ' ὁρῶντες καὶ τὸν, ὡς ἁμαρτάνει.
Τὴν ἣν δ' ἕκαστος αἰνέσει μεμνημένος
Γυναῖκα, τὴν δὲ θἀτέρου μωμήσεται,
Ἴσην δ' ἔχοντες μοῖραν οὐ γινώσκομεν.
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακὸν,
Καὶ δέσμον ἀμφέθηκεν ἄῤῥηκτον πέδῃ,
Ἐξ οὗ τε τοὺς μὲν Ἅϊδης ἐδέξατο
Γυναικὸς εἵνεκ' ἀμφιδηριωμένους.

VERSIO.

V. 1–7. Mentem feminae (*feminarum*) in principio (*rerum*) fecit Deus feorſum. Aliam creauit ex SVE ſetoſa, cui per domum omnia ſordibus obducta, inculta iacent, et humi voluuntur. Ipſa autem illota, et veſtibus ſordidis (*induta*) in ſtercore deſidendo pingueſcit.

V. 7–11. Aliam (*creauit*) Deus ex callida VVLPE, omnium (*artium*) peritam. Neque eam mali neque boni quidquam latet: aliud enim (*factum*) iſtius ſaepe eſt malum, aliud autem bonum, alioque tempore aliud vult atque cupit.

V. 11–21. Aliam ex CANE (*fecit*) malignam, matris (*ſuae, canis*) ſimillimam, quae omnia audire omniaque videre vult, atque circumſpiciens quaqua verſum oberransque vociferatur, quamuis neminem videat. Neque minitando eius furorem comprimere poſſit maritus, neque ſi iratus dentes (*eius*) lapide

lapide excuſſerit, neque ſi comiter (cum ea) loquatur, neque ſi (*ea*) cum hoſpitibus forte ſedeat; ſed continuo vana iurgia mouet (*illa*).

V. 21–27. Aliam e TERRA fictam marito (*tamquam*) rem aerumnoſam Olympii dederunt, neque enim bonum neque malum vllum nouit talis femina. Solum edendi negotium non ignorat. Neque, ſi Deus hiemem faciat vehementem, quamuis frigore obrigeſcat, ſellam propius ad ignem admouet.

V. 27–43. Aliam ex MARI factam apud animum contemplare. (*Iſta*) alio die ridet, atque laetatur. Laudabit (eam) hoſpes, qui (*eam*) domi viderit (*dicens, cogitans*): nulla inter omnes homines eſt femina melior atque pulchrior hac: alio autem die ferri nequit, ſiue videre illam ſiue propius adire (*velis*), ſed tum vehementer iraſcitur, vt canis apud catulos omnibusque infenſa eſt atque inuiſa, amicis pariter ac inimicis: ſicut mare aeſtatis tempore nunc immotum

ſtat

ſtat nemini periculoſum, magnum nautis gaudium; nunc autem furit valde ſonantibus fluctibus agitatum. Huius (*maris*) ſimillima eſt ingenio, marisque inſtar indolem ſemper variam habet.

V. 43 – 50. Aliam ex gilvo laboribusque trito ASINO (*fecit*), quae vi atque conuiciis coacta vix (*ea*) facere atque agere ſolet, quae (*marito*) placent. Interea autem per diem et noctem ſemper in feceſſu domus, aut ad focum veſcitur. Praeterea etiam ſocium amoris cauſa venientem quemcunque recipere ſolet.

V. 50 – 57. Aliam ex MVSTELA (*feminam fecit Deus*), infelix atque miſerum genus; illa enim neque honeſta, neque iucunda, neque ſuauis, neque amabilis eſt. Rei amatoriae neſcia eſt, atque facit, vt maritum (*ſui*) taedeat: furando ſaepe damnum vicinis affert, necdum immolata (*hoſtiarum*) carne veſcitur.

V. 57–71. Aliam molli iuba praeditus EQVVS genuit, quae ſeruilia opera atque

laborem auerſatur; nec (*ea*) molat vnquam, neque cribro cernat, nec fimum ex aedibus eiiciat, aut ad furnum ſedeat, quoniam fauillam euitat. Inuitum autem maritum (*ſibi*) amicum (*amantem ſui*) reddit, et ſingulis diebus ſordes abluit bis aut alias ter, ſeque vnguento vngit, ſemperque geſtat crines pectine formatos, (*religando*) denſos, (*atque*) floribus inumbratos. Pulchrum igitur ſpectaculnm talis femina aliis eſt, marito autem malum, niſi quis tyrannus aut rex ſit, qui talibus apud animum delectatur.

V. 71–83. Aliam ex SIMIA (*fecit*). Hanc maximum prae aliis malum viris dedit Iupiter: deformi facie (*ea eſt*). Talis femina per vrbem it ab omnibus hominibus irriſa. Aegre breue collum mouet, nullas nates habens, atque ex vnico (*quaſi*) membro conſtans. O miſerum hominem, tantum malum amplexantem! Omnia praeterea conſilia (*vafra*) artesque novit, ſimiae inſtar, neque ei riſus curae eſt, neque cuiquam benefaciat. Hoc autem intendit, atque hoc

per

per totum diem in mente agitat, quomodo malum quam maximum perpetret.

V. 81–94. Aliam ex APE (*fecit*), quam qui acceperit, felix eſt. Huic enim ſoli probrum non adhaereſcit; floretque per illam atque augetur res familiaris. Amans (*maritum*) cum marito (*ſe*) amante feneſcit, bonum et clarum genus pariens. Valde inſignis inter omnes feminas eſt, et diuina venuſtas illi circumfunditur. Nec gaudet ſedere inter feminas, vbi confabulationes amatorias inſtituunt (*feminae*). Tales feminae optimae atque ſapientiſſimae earum ſunt, quas hominibus dedit Iupiter.

V. 94–118. Reliqua (*feminarum*) genera, haec (*etiam*) omnia Iouis conſilio exiſtunt, et apud viros manebunt (*eruntque*). Iupiter enim mulieres has maximum fecit malum. Quamuis (*illae*) aliquid iuuare videantur, habenti (*eas*) maximum ſunt malum. Nunquam enim totum diem laete exigit, qui cum femina viuit, aegreque a domo Famen auertet, grauem contubernalem, inimicum

Deum. Quando maritus maxime hilaris agere videtur domi, ſiue (*ob*) fortunam a Deo datam, ſiue (*ob*) rem gratam ab (*aliquo*) homine (*praeſtitam; tum*) nacta vituperii (*occaſionem*) ad iurgium (*cum marito*) ſe accingit. Vbi enim femina eſt, ne hoſpitem quidem excipiunt, (*maritus cum vxore*) benigne. Quae tamen modeſtiſſima eſſe videtur; haec maxime offendit (*maritum*), oſcitante nimirum marito. Vicini autem gaudent videntes, quantopere fallatur (*ille*). Atque ſuam quisque vxorem laudat, alterius (*vxorem*) vituperat. Nos (*homines*) enim non videmus aequalem ſortem nos habere. Iupiter nempe maximum hoc fecit malum, et vinculo indiſſolubili (*maritos*) conſtrinxit, a quo nonnullos Orcus feminae ergo altercantes (*inter ſe*) liberauit.

ANIMADVERSIONES
AD
SIMONIDIS CARMEN
DE
MVLIERIBVS.

ANIMADVERSIONES.

Verſus 1 - 7. Poeta his verſibus, vt iam ex comparatione cum ſue apertum fit, immundam feminam deſcribit, cuius ſocordia tota res familiaris ſordibus ſqualet. Phocyl. in modo laudato carmine talem *οὔτε κακὴν οὐδ' ἐσθλὴν* vocat.

V. 1. 2. *Χωρὶς - ταπρῶτα*] Haec verba varie interpunxerunt et intellexerunt interpretes, et habent ſane difficultatem. Simpliciſſimo verborum ordine inſtituto ſenſus hic exit: *θεὸς ἐποίησεν χωρὶς νόον γυναικὸς. Deus a femina mentem ſegregauit*, h. e. *creauit Deus feminas ſine ſapientia*, *ἄτερ σωφροσύνης.* Si verba ita capiuntur, *νόος* eſt: *mens ſana, quae omnia conſiderate agit, adeoque nullis facile vitiis atque erroribus eſt obnoxia.* Sane altera, quam Grotius maluit, ad ſenſum praeſtat. Vertit nempe: *non vnam feminae mentem finxit Deus*, vt poeta ſignificet adeo, varia eſſe atque diuerſa feminarum ingenia. Ad ſenſum nil melius. Sed vereor, vt verba admittant. Ecce verba ad Grotianam rationem ſuppleta et conſtructa: *θεὸς ἐπόιησε νόον γυναικὸς (γυναικῶν) χωρὶς.* Iam primo *χωρὶς* nullum, quem regat, genitiuum habet, et ſubaudiri debet *ἀλλήλων.* Mittam hoc: multo durius puto:

νόος γυναικὸς, pro γυναικῶν νόοι. Dicat mihi aliquis: at ſolemnis eſt poetis haec enallage ſingularis et pluralis. Recte, niſi poeta mox diſtingueret illas mentes: quod quando fit, ſingularis pro plurali poſitus locum habere poſſe non videtur. Aut igitur γυναικῶν legam, aut γυναῖκας, vt ſit: θεὸς ἐπόιησε γυναῖκας (κατὰ τὸν) νόον χωρὶς, *creavit eas ſeorſum, quod ad mentem ſpectat; diuerſis ingeniis et animis.* Ita ſententiae, quae ſequuntur, accommodatiſſimae ſunt. Nec abhorret duplex hic accuſatiuus a conſuetudine poetarum graecorum, v. Brunckius V. C. ad Aeſch. S. c. Th. 836 p. 365.

V. 1. χωὶ ἐποίησε] In altera ex propoſitis emendationibus ποιεῖν eſt, *facere, formare*; χωρὶς, *ſeorſum*, ad diuerſa exempla, non ad vnum commune. In priore autem accipiendum eſſet ποιεῖν χωρὶς pro ſimplici ἐχώρισεν, poetice. Sane ſaepe Graeci τὸ ποιεῖν, vt Latini τὸ *facere*, cum aduerbis, adiectiuo, aliaue orationis particula ſic componunt, vt periphraſin ſingulorum verborum, vt aiunt grammatici, faciat, vt ſequentia loca demonſtrant: Thucyd. II, 83 λεπτὰ πλοῖα ἐντὸς ποιῶνται. Demoſth. Tom. I pag. 240. Ed. Reisk. δυνάμεις ἐποιεῖτ' ὑφ' ἑαυτῷ. Xenoph. C. E. VI, p. 492 E. H. ὅπις θεν ποιήσασθαι νᾶπος. Simili modo eſt apud Homerum Il. v. 55.

Σφῶϊν

Σφῶϊν δ' ὧδε θεῶν τις ἐνὶ Φρεσὶ ποιήσειεν
Αὐτώθ' ἑσάμεναι κρατερῶς — — — —

Ibi ἐν - ποιεῖν est idem, quod ἐντιθέναι.

Ibid. θεὸς] quod recurrit v. 7 et 25, est Iupiter, saepe κατ' ἐξοχὴν θεὸς nominatus, cui, vt aliis, sic hoc loco creatio generis humani tribuitur, id quod infra apparebit ex versibus 72. 96. 115, vbi, qui hic θεὸς, expressis verbis Ζεὺς nominatur. Adde Eurip. Hippol. 616, vbi Iouem creatorem feminarum vocat:

Ὦ Ζεῦ τί δὴ, κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν,
Γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας;

vbi vide Valckenarium V. C. pag. 232.

V. 2. ταπρῶτα] scilicet κατὰ, pro πρῶτον. Neutro pluralis adiectiuorum, et quarto quidem casu, suppleto κατὰ, pro aduerbiis vti poetas, notissimum. Nec sermo pedester illud respuit, v. Aelian. V. H. I. 34. II, 30. Simili modo est apud Herodot. II, 86, τὰ πολλὰ pro πολλάκις. Ceterum notat hoc loco idem, quod alias ἐν ἀρχῇ, *in principio rerum*; aliter enim acceptum languet. Nec male igitur Ill. Brunck. interpunctionem post νόον positam sustulit, et post ταπρῶτα interstinxit.

V. 3. 4. τῇ πάντα κεῖται] Docte pro: ἧς πάντα κεῖται sc. χρήματα. Talis vsus dativi, Graecis

et imprimis eorum poetis familiariſſimus eſt, qui illo exquiſite ſecundi caſus loco vtuntur. Habet tum fere locum, cum res, facta, aliave alicui attribuntur. Apud poetas imprimis obuius eſt, apud quos οἱ pro ἀυτοῦ ſaepiſſime inuenias, v. v. c. Homer. Il. β, 318. Pind. Ol. III, 78, VI, 7. Aeſch. Sup. 307. Eurip. Phoen. 1541. Callim. H. in Cer. 39. Nec tamen hunc loquendi modum fugiſſe proſaicos oſtendit Herodot. VI, 103. πρεςβύτερος τῶν πάιδων τῷ Κιμῶνι, pro τοῦ Κιμῶνος, vbi vide Weſſeling., cf. Hemſterhus. ad Ariſtoph. Pl. pag. 2.

Ibid. ἀν' οἶκον] *per domum, per omnes partes domus*, quae vis ſaepe ineſt τῷ ἀνὰ. Homer. Il. α. 10:

Νοῦσον ἀνὰ ςρατὸν ὦρσε κακήν.

Conf. Hymn. in Apoll. 406, Callim. Hymn. in Cer. 81. Bion I, 60.

Ibid. βορβόρῳ πεφυρμένα] *ſordibus obducta.* Prius vocabulum eandem, quam κοπρία, quod ſubſequitur, vim habet. Plerumque ei notio foetoris ſimul ineſſe ſolet, docente Hemſterhuſio ad Lucian. pag. 24. — πεφυρμένα] Prima notio huius vocis eſt: *ſubigere farinam*, deinde ad quasvis res cum aliis commixtas transfertur. Iam quae cum aliis miſcentur, iis polluuntur; quam poteſtatem hoc loco habet. Hanc verbi formam

contra

contra Caſaub. recte defendere Dukerum ad Thucyd. III, 49. etiam noſter locus oſtendit.

V. 4. *κεῖται κὰι κυλινδεῖται χαμάι*]. Poſterius *χαμαὶ* ad vtrumque verbum antecedens retrahendum eſt. — Verſus hic ornatiſſimus eſt, cum quo conferri merentur aurei verſus Archilochi ap. Brunck. Tom. I. Anal. pag. 43. Nro. XV.

Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα, πολλάκις μὲν ἐκ
καπῶν
Ἄνδρας ὀρθοῦσι μελάινῃ κειμένους ἐπὶ χθονί.

Saepe haec notio etiam ineſt latino *iacere*, v. Burmannum Sec. ad Anthol. Lat. Tom. I. L. III. pag. 577.

V. 5. *ἄπλυτός τ' ἐν ἕιμασιν*] Geſnerus et Grotius ediderunt *ἵμασιν*, ex feſtinatione librarii forte; niſi cui in mentem veniat, antiquiores Iones ſic ſcripſiſſe. Melius tamen *ἑίμασιν*. — *ἄπλυτος ἐν ἑίμασιν* poetice dictum pro *ἀπλύτοις ἐν ἑίμασιν*, vt olim ex Ammonii *κλύσαι μὲν λέγεται ποτήριον ἢ ἀγγεῖον, νίψαι δὲ πρόσωπον, πλύναι δ' ἐσθῆτα* emendare tentabam. Quare Celeberr. Heynius merito hanc emendationem reiecit, cuius de hoc loco iudicium inſigniter iuuare poſtea vidi ſimillimum Pindari locum Pyth. V, 80.

Ὁ δ' ἀρχαγέτας ἔδωκε' Ἀπόλλων
Θῆρας αἰνῷ φόβῳ,

Ὄφρα

Ὄφρα μὴ ταμίᾳ
Κυράνας ΑΤΕΛΗΣ
Γένοιτο ΜΑΝΤΕΥΜΑΣΙΝ.

Nam proprie ἀτελὴς ſpectabat ad μαντεύματα, quae ſunt ἀτελῆ, cum nullum habent euentum.

V. 6. ἐν ποπρίῃσιν] poetico modo pluralis pro ſingulari.

Ibid. ἠμένη πιαίνεται) ἧσθαι aptiſſimum vocabulum ad ſocordiam, deſidiam exprimendam. Callinus ap. Brunck. Tom. I. Annal. pag. 39:

— — ἐν εἰρήνῃ δὲ δοκεῖτε
Ἧσθαι — — — — —

v. Graeuius ad Heſ. Op. 478. et Bergler ad Alciphr. pag. 102. Sic ſaepe etiam occurrit latinum *ſedere*, v. Liv. III, 68. *ſedemus deſides domi*, et Burmann ad Ouid. Heroid. VIII, 21. Adde Interp. ad Nep. Datam. c. 8. πιαίνεται perite addidit poeta, cum otium atque deſidiam pinguedo fere ſequi ſoleat.

V. 7–11. His verſibus callida, omniumque artium perita femina deſcribitur, et a poeta aptiſſime cum vulpe comparatur, quae veteribus ob aſtutiam erat notiſſima, adeo, vt aſtuti homines ἀλώπεκες appellarentur, et quidem, ni memoria me fallit, apud Alciphronem II, 1. conf. Palaeph. VIII, 2. Calliditas feminarum ſaepe celebratur a poetis. Heſiod. Op. 67.

Εν

Ἐν δὲ θέμεν κύνεον τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Ἑρμείην ἤνωγε, διάκτορον Ἀργειφόντην.

Pandorae ſcilicet, et v. 78.

Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
Ψεύδεα, αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Τεῦξε — —

Propert. II, X, 12.

— *vobis facile eſt, uerba et componere fraudes:*
Hoc vnum didicit femina ſemper opus.

Cf., ſi plura cupis, Eurip. Iphig. in Taur. 1032. Andromache 85., Danaë ap. Stobaeum Grotii p. 309. Theocr. XV, 64.

V. 7. ἐξ ἀλιτρῆς ἀλώπεκος] Male vertunt: *ex ſceleſta vulpe.* Sic enim dicitur hoc loco potius ob aſtutiam, qua alios laedit. Vocabulum latiorem ſignificatum habet, ſecundum quem omnino de eo dicitur, qui aliquem laedit, malum in aliquem facit. Quod ſi in Deum fit, peccatur in Deum; in hominem, laeditur homo. Melius itaque reddit Grotius: *maligna vulpes*, quae aliis damnum affert dolis ſuis, cui interpretationi etiam adſtipulatur Valckenarius Cl. ad Ammon. pag. 146. Sic Homerus Mercurium ἀλιτρὸν nominat, quoniam ille conſilia Iouis celauerat Calypſo, vt illa nempe Vlyſſem ex inſula ſua dimitteret, in Od. ε. 182.:

Ἦ δὴ ἀλιτρός γ' ἐσσὶ, καὶ οὐκ ἀποφώλια ἰδώς.

De

De noua feminini forma vocis ἀλιτρὸς, quid certi ſtatuam, omnino non habeo, et dubito, an alibi occurrat, alias enim ἀλιτρὸς generis, quod dicunt, videtur fuiſſe communis. Vtrum igitur τὸ ἀλιτρῆς genuinum ſit, an potius pro foetu librarii habendum, vt genera inter ſe conciliaret, ἀλιτροῦ in ἀλιτρῆς mutantis, cuiusmodi exemplum videbimus infra v. 35., verecunde doctiorum iudicio relinquo. Attamen, cum analogia non deſit, paucos, arbitror, iſtam formam eſſe damnaturos.

Ibid. ἔθηκε] pro ἐποίησε ex Homero notiſſimum.

V. 8. 9. ἀδὲ μὶν — ἀμεινόνων] Poetice hoc dictum. Sententia eſt: *talis femina omnes artes, ſeu bonas, ſeu malas, nouit.* Ceterum pro ἀδὲ μὶν &c. poeta, ſi proprie loqui potuiſſet atque voluiſſet, ἣν ἀδὲν κακῶν λέληθεν ponere debuiſſet. Sed poetae poetice loquuntur. Inuertit igitur orationem, ex perpetuo poetarum more.

Ibid. ἀδὲ λέληθεν οὐδὲν] pro: ἣ οἶδε πάντα, et iſtud λέληθεν aut eſt a λέληθα, quod tum pro praeſenti poſitum accipi debet, v. infra ad v. 89., aut a nouo verbo λελήθω, quod ex perfecto medii λέληθα deriuandum eſt, deſcendit. Similes formae infra occurrent v. 15. λέληκεν 28. γέγηθεν

θεν 89. ἀμφιδέδρομεν. Ditiſſimum earum Homerum nouimus, cuius nimirum ſunt κεκάμω, λελάθω, λελάβω, μεμήλω, κεκάδω aliaeque. v. Cel. Valckenaer. ad Theocr. Idyll. I, 16. et Koen. ad Gregor. de Dial. pag. 81. 82.

Ibid. κακῶν — ἀμεινόνων] Facile patet proprium fuiſſe ἀγαθῶν. Sed comparatiuus bene locum habet, cum bona cum malis comparata haud dubie malis ſint meliora. Nec adeo neceſſe eſt ad eos confugere, qui comparatiuum pro poſitiuo poni clamant. Simillimus vſus comparativi, ex eadem tamen, qua noſter, cauſa deriuandus eſt apud Theogn. 794.

Ἄλλός τις σὲ κακῶς, ἄλλος ἄμεινόν ἐρεῖ.

Pindar. Ol. IX, 73.

ἄινει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον, ἄνθεα δὲ ὕμνων
Νεωτέρων·

reſpectu παλαιοῦ οἴνου, cf. Duker. ad Thucyd. III, 9. p. 172.

V. 10. 11. τὸ — ἐσθλὸν] Supple ἔργον ſeu πρᾶγμα ellipſi optimis ſcriptoribus ſolemni, vid. Bos de Ell. Gr. pag. 120 ſq. quaeque ibi ſubtexuit Schwebelius.

Ibid. ἀυτῆς] Sic apud Brunck. Vetus lectio erat ἀυτῶν, quo ſenſu, neſcio, niſi γυναικῶν ſubaudiatur et feminae ex vulpe factae intelligantur.

tur. Multo magis commodum eſt αὐτῆς, refertur enim ad τὴν v. 7. Quod an Vir Ill. ex codice dederit, me quidem latet.

V. 11. ὀργὴν — ἔχει] Haec ſuperioribus ad ſenſum coniunctiſſima, qui eſt: *modo hoc, modo illud agitat et cupit, et modo bonas, modo malas artes exercere ſtudet*, quam ſententiam expreſſere Virgilius Aen. IV, 569.:

Varium et mutabile ſemper femina.

Catullus LXVIII, 128.:

Multiuola eſt mulier.

ὀργὴ igitur eſt hoc loco, non, vt peſſime Buchananus vertit: *ira*, ſed potius *voluntas*, *cupido*, *libido*, vide ad v, 42.

V. 12-20. Femina, quam his verſibus deſcribit poeta, eſt iracunda, nullaque iuſti et decori habita ratione rixarum ſtudioſa, etiamſi nulla idonea cauſa adſit. Phocyl. eam l. c. χαλεπήν τε καὶ ἄγριον appellat, qualem cum cane comparari, mirum videri non debet cogitantibus, canes apud veteres ſymbolum iracundiae, ferociae, audaciae, impudentiae fuiſſe; nam alebant illi canes noſtris multo feriores lupisque ſimiliores, imprimis autem heroes antiqui, vt comites adſidui eſſent, ſeque atque rem familiarem cuſtodirent. Hinc intelligendae etiam ſunt

voces

voces *κύων*, *κυνώπης*, *κύντερος*, *κυνοθαρσὴς* aliaeque, quae apud Homerum aliosque vt conuicia in feroces, impudentes homines coniiciuntur. Cf. Lucianus in Piſc. I. pag. 603., vbi philoſophi vocantur *ὀργιλώτεροι τῶν κυνιδίων*, qui locus plurimum facit ad comparationes a poeta noſtro factas illuſtrandas. Saepiſſime inuecti ſunt veteres in tales feminas. Eurip. ap. Stob. Grotii p. 311.

Γυναῖκες ἔσμεν — — —, — —
— — ἐκ ἂν ἡμῶν θράσος ὑπερβάλλοιτο τίς.

Alexis apud eundem pag. 310.

Οὐκ ἐς' ἀναισχυντότερον οὐδὲν θηρίον
Γυναικός.

Virgil. Aeneid. V, 6.

— — notumque, furens quid femina poſſit.

cf. Menander in Grotii Fl. St. pag. 311., Eurip. Phoeniſſ. 206., Hom. Od. λ. 426., vbi v. Clarkium.

V. 12. *τὴν δ' ἐκ κυνὸς λιτουργὸν*] Supplendum eſt *ἐπόιησε*, ſicut infra v. 43. 50. 71. 83. Male antea apud Stephanum pro *λιτουργὸν* erat *λιτοργὸν*, et apud Grotium *λειτουργὸν*, nam huc reſpexit Ammonius, qui, diſcrimen inter *λειτουργὸς* et *λιτουργὸς* conſtituens, poſterius interpretatur *κακοῦργος*, nec non Heſychius, apud quem male tamen ſcribebatur *λιτούριος*. Idem ante me iam obſeruauerat Cel. Valckenaer. ad Ammonium II, 16., quem verbum hoc praeclare

illuſtrantem, noſtrumque locum tamquam elegantiſſimum pag. 146. laudantem, neminem legiſſe poenitebit.

Ibid. *αὐτομήτορα*] Rarius hocce, vtque videtur, a poeta excogitatum vocabulum, fruſtra enim in lexicis quaeras, de liberis dicitur, qui quaſi *αὐτὴ μήτηρ*, hoc eſt matri ſimillimae ſunt. Hoc loco relatum ad animum de femina dicitur, quae ſuam matrem quoad mores apprime refert. Sub matre autem intelligenda eſt canis, ex qua cum facta, ſeu, quod eodem redit, nata dicatur, non male vſus eſt poeta hoc vocabulo. Apud Wintertonum *αὐτομητέρα* eſt, vitioſe.

V. 13. *ἢ — θέλει*] Impudentiſſimae ſane feminae ſunt, quae omni honeſto atque decoro neglecto, omnia, quae non debebant, audire atque videre cupiunt. Sic verterem, quo melius *τὸ ἰδέναι* reſpondeat *τῷ ἀκοῦσαι*. Fortaſſis tamen erunt, qui dubitent, an infinitiuus *ἰδέναι* hac virtute praeditus ſit. — Aoriſtus *ἀκοῦσαι* pro praeſenti poſitus eſt, de quo vide ad v. 45.

V. 15. *λέληκεν*] Denotat vocabulum *ληκεῖν* quemuis fere paullo grauiorem ſonitum, ſtrepitum atque crepitum, et proprie quidem rerum ſenſu carentium, unde, ſed rarius, ad vocem humanam transfertur, vt hoc loco, quo de aſpero, rigi-

rigido, iracundo ſermone, ſecundum imaginem feminae, qualis hic proponitur, ſumendum eſſe exiſtimo, quae notio e primitiua illa commode ducitur. Omnino conferenda ſunt, quae de hac voce ſuppeditant Bergler. et Duker. ad Ariſtoph. Plutum v. 39. Adde Apollon. in Lex. Hom. pag. 518. cum nota Cl. Villoiſon. Senſus huius et praecedentis verſus videtur adeo eſſe: *Femina talis, altercandi, aut blaterandi occaſionem captans, omnia loca adit atque ſcrutatur, adeo, vt, ſi fruſtra eam quaeſiuerit, neminemque, cum quo contendat, inuenerit, temere vociferetur.* Omnia accommodate a natura canis ad feminam ſunt translata. Canes enim, domum cuſtodientes, omnia explorare, et ſaepe ad ſtrepitum quemcumque ſponte excitatum latrare ſolent. Vtitur hoc loco Loenſis in Miſcell. Epiphyll. II, 16., qui ſcite illum interpretatur, verum in eo errare videtur, quod omnia ad ſolam loquacitatem, impudentiam, aliaque minus huc pertinentia reuocare vult, de ferocia autem atque iracundia non cogitat, quarum tamen praecipuam rationem haud dubie habuit poeta, vt clare commonſtrant epitheta, quibus Noſter atque Phocylides ornant huiusmodi feminam. Nimirum nominant illam λιτουργὸν, χαλεπὴν, ἄγριον. Vt pauca adhuc de forma verbi λέληπεν moneam, eſt illud ſeu praeſens noui verbi λελήπω, ſeu praeteritum,

quod munere praeſentis fungitur, vide ad v. 9. Eadem forma occurrit apud Homerum Od. μ. 85., et apud Heſiodum in Op. 205.

V. 15. μηδέν' ἀνθρώπων] pro vulgari atque ſimplici μηδένα ἄνθρωπον, ſatis obuia ſermonis elegantia, v. Weſſeling. ad Diodorum Tom. I. pag. 3.

V. 16. Apud Wintertonum vitioſe eſt ἀπειλήσ'. Sed omnino vitiis typographicis foedata eſt illa editio.

V. 18. Ex ſuperioribus repete παύσεις, ad hoc enim refertur τὸ ἂν h. v.

V. 19. οὐδ' εἰ — τύχῃ] Sententia: *nec, ſi hoſpites praeſentes ſunt, linguae temperat.* — ἡμένη exquiſite pro ἔουσα — Pro τύχῃ Ill. Brunck. legere malit τύχοι, quod, ſi librorum auctoritate niteretur, haud ſpernendum eſſe iudico. Cum tamen omnes libri conſtanter vulgatam lectionem exhibeant; videamus, an habeat, quibus ſe poſſit tueri. Videtur illi quidem quodammodo obſtare τὸ εἰ h. l. iunctum ſubiunctiuo, quippe quod, vt ſoloecum, a compluribus reiectum eſſe me non fugit. At loca ſunt ſatis obuia, quae vſum coniunctionis εἰ cum coniunctiuo copulatae ſeruant, eaque tam luculenta, vt nullum am-

amplius de illo dubium relinquere videantur. Aliquot exempla, cum res tam controuerſa fuerit, et adhuc ſit, hic congeſſiſſe operae erit. Heſiod. Op. 342.

Ἐι γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται

Apollonius Rh. I, 362.

— — — — — ἔι κε θυηλαῖς
Τοῦ ἔθεν ἐξάρχωμαι ἀεθλεύων βασιλῆϊ.

Cf. Homer. Od. α. 287., Tyrtaeus III, 35., Pindar. Pyth. IV, 488., Xenoph. Cyrop. I, IV, 10. et 12., Iſocr. Panegyr. Cap. III., Palaeph. XXIX, 2. et alibi. Pluribus, opinor non opus erit ad vindicandum, quod volui, nec adeo ex conſtructione paullulum rariori argumentum contra loci ſinceritatem peti poterit.

Grauior cauſa, cur mutanda ſit noſtra lectio, nonnullis forſan videbitur, modorum, quos τὸ ἐι regit, diuerſitas. Sed et haec me parum movet, vt aliquid propterea immutandum eſſe cenſeam, cum Graecos diuerſos modos coniungere ſolere non ignorem, memor eorum, quae Schraderus V. C. ad Muſaeum C. XVIII. pag. 309. ſq. copioſe atque operoſe diſputauit, vbi grauiter praecipit, modos diuerſos ſaepe pendere ab vnica coniunctione. E nube exemplorum, quae ille laudat, vnicum, quod multum facere videtur ad locum noſtrum confirmandum, hic enotaſſe ſufficiat.

ciat. Est sumtum ex Herodoti I, 53. vbi sic: ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾷν τὰ χρηστήρια, ἘΙ ΣΤΡΑΤΕΥΗΤΑΙ ἐπὶ Πέρσας Κροῖσος, καὶ ἘΙ τινα στρατὸν ἀνδρῶν ΠΡΟΣΘΕΟΙΤΟ φίλον. His iunge nonnulla loca, in quae ipse incidi, Homeri Od. δ. 412.

Ἀυτὰρ ἘΠΗΝ πᾶσας ΠΕΜΠΑΣΣΕΤΑΙ
ἠδὲ ἸΔΗΤΑΙ.

Perictyones apud Stobaeum Serm. LXXVII. pag. 457, 45. ex emendat. Koenii ad Gregor. de Dial. p. 187. ἘΙ δέ τις γονέας ὙΠΕΡΦΡΟΝΕΟΙΕΝ, ἢ ΛΕΓΗΙ κακὸν, ταύτῃ καὶ ζώσῃ, καὶ θανούσῃ, ἁμαρτία παρὰ θεοῖσι γράφεται. Xenoph. E. C. VI. pag. 503. E. H. ἘΙ ὦυν ὦυτος πρῶτον μὲν ὑμᾶς Βυζαντίου ἈΠΟΚΛΕΙΣΕΙ, ἔπειτα δὲ τοῖς ἄλλοις ἁρμοσταῖς ΠΑΡΑΓΓΕΙΛΗ μὴ δέχεσθαι, ὡς ἀπιστοῦντας· ἔτι δὲ πρός Αναξίβιον τὸν ναύαρχον ὁ λόγος περὶ ἡμᾶς ἥξει. Thucyd. II, 80. λέγοντες, ὅΤΙ — — καὶ τῆς Ζακύνθου, καὶ Κεφαλληνίας ΚΡΑΤΗΣΟΥΣΙ, καὶ ὁ περίπλους οὐκέτι ἘΣΟΙΤΟ Αθηναίοις ὅμοιος περὶ Πελοπόννησον. Quae loca si considero, non possum, quin nostrum locum sincerum putem, omnemque medicinam ab ipso alienam.

V. 20. ἄπρηκτον ἀυόνην ἔχει] Verba ἄπρηκτος ἀυόνη h. l. actiue denotare possent *clamorem vanum, inanem, atque nihil efficientem;* (ἀυόνη enim

enim eſt idem, quod κραυγὴ, quod ex Heſychio docuit Brunckius) in qua ſententia interpretes fuiſſe video, quamque in verſione ſecutus ſum. Neſcio tamen, annon melius vertatur: *clamor, qui reprimi, coerceri nequit.* Hoc ſaltem ad imaginem feminae, qualis hic deſcribitur, accommodatius eſſe videtur. Noſtro in hoc vocabuli vſu iam praeiuit Homerus Od. μ. 223., vbi ἀπρηκτον ἀνίην interpretatur Euſtathius: καθ ἧς οὐκ ἦν τι πρᾶξαι, καὶ μηχανήσασθαι. Atque hoc expreſſiſſem, ſi potuiſſem commode. Alteram igitur rationem retinere malui, imprimis cum adeo abſona non ſit. — τὸ ἔχειν capio poſitum pro παρέχειν, *facere, mouere, praebere*, qui vſus ſane elegantiſſimus inter optimos ſcriptores obtinet. Quem, paſſim V. V. D. D. impugnatum, liceat mihi paucis exemplis adſtruere. Bacchyl. ap. Brunck Tom. I. Anal. pag. 152. nro XV.

Φάσωμεν, πιϛὸν κῦδος ἔχειν ἀρετάν·

Mens poetae eſt: *virtutem afferre veram, non inanem gloriam.* Herodotus V, 101. πυρὸς — ἔχοντος ἐξήλυσιν ἐκ τοῦ ἄϛεος h. e. *igne occaſionem praebente euadendi ex vrbe.* Ariſtot. Rhet. I, 5, 8. δῶρα τὰ παρ' ἑκάϛοις τίμια —— ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει, ὧν δέονται· καὶ γὰρ κτῆμα ἐϛὶν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρήματοι, καὶ τιμὴν ἔχει, οὗ οἱ φιλότιμοι. Quae loca hanc graecae linguae ele-

gantiam ſatis vindicare videntur. Hunc verbi vſum etiam agnoſcit Dukerus ad Thucyd. II, 41.

V. 21-27. Poeta nobis imaginem ſtultae, imprudentis feminae his verſibus proponit, contrariam plane illi, a vulpis ſimili femina ductae. Attendendum eſt ad factam cum terra comparationem, vnde colligitur, illam ſymbolum ſtultitiae fuiſſe apud veteres. Quoniam enim terra ſenſus, mentis eſt expers; pronum erat, eam ſtultam nominare. Secundum ſuperiora nomen animantis expectabam. Itaque ſuſpicabar legendum χηνίην ab anſere. Sed vana eſt haec emendatio, ob ſubſequentem cum mari comparationem, vt praeclare obſeruabat Heynius V. Cl., et numquam ſine maxima laude nominandus.

V. 21. γηΐνην πλάσαντες] Pergere debebat proprie: ἐκ τῆς γῆς. Sed poetae eadem iisdem modis non ſemper efferunt; praeterea noſtrum γηΐνην doctius eſt. Satis frequens eſt hic adiectivi pro ſubſtantiuo vſus apud graecos. Simili modo occurrit γαιήϊος apud Homerum Od. η. 324.

— — ὅτέ τε ξανθὸν Ραδάμανθυν
Ηγον ἐποψόμενον Τιτυὸν, γαιήϊον υἱόν.

pro τῆς γῆς.

V. 23.

V. 22. ἔδωκαν ἀνδρὶ πόνηρον] ſc. χρῆμα, ex ſolemni ellipſi, quae eo eſt certior, cum interdum iſta vox adiuncta occurrat, vt apud Ariſtoph. Lyſiſtr. 678., vbi ἱππικώτατον χρῆμα καὶ ἔποχον femina vocatur, et apud Theocr. XV, 83., vbi eſt:

—— —— σοφόν τι χρῆμ' ἄνθρωπος.

ubi v. Valckenaer. V. C., idem ad Eurip. Phoen. 206. et Bergler ad Alciphr. II, 4. pag. 253. Modus ille loquendi in elegantiſſimis habitus eſſe videtur, quandoquidem pedeſtris orationis ſcriptores non minus quam poetae ſubinde illo vſi ſunt. Exempla poſt alios commemorare nihil attinet. Videantur Weſſeling. ad Herodot. III, 82. Valckenaer ad Theocr. Adoniaz. pag. 257. ſq. et Brunck ad Eurip. Medeam 927. p. 390., qui illam recte reſtituit Tyrtaeo II, 19. Αἰσχρὸν δ' ἐσὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίῃσι. Latini paſſim imitantur. Quis ignorat Virgilii: *triſte lupus ſtabulis*, et *dulce ſatis humor*; Ovidii: *triſte ſenex miles*, quae loca occupauit Hoogeveen ad Viger. pag. 61. Cf. Drackenborch. ad Liuii XXXVIII, 8.

V. 23. οὐδὲν ὅιδε] In vetuſto ſermone inprimis poetico εἰδέναι non modo ſignificat *noſſe rem*, ſed etiam rem, quam nouimus *facere*, *agere*, *exercere poſſe*, quod, qui Homerum legit, non ignorabit. Vide v. c. Il. ε. 326.

—— —— ὃν περὶ πάσης
Τῖεν ὀμηλικίης, ὅτι οἱ φρεσὶν ἄρτια ἤδη

Diomedes nempe Deipylum. v. Perizon. ad Ael. V. H. III, 12. - Duplex negatio in hoc verſu, vt etiam aliis locis, ſimplici intentius negat, quod Graecis proprium eſſe oſtenderunt Bergler ad Alciph. II, 2. p. 235., Hutchinſon. ad C. E. p. 85. Nec Latini ſemper duabus negationibus affirmant. v. I. F. Gronouius ad Liuii III, 26., et Oudendorp. ad Caeſ. B. G. V, 23. Senſus adeo eſt: *nulla virtute ornata eſt talis femina, atque ne malum quidem, ad quod perpetrandum ſollertia requiritur, efficere poteſt.*

V. 24. ἔργον ἐσθίειν ἐπίσταται] Pro ἔργον Winterton. habet ἔργων. Iungenda autem ſunt verba: μόνον ἔργον ἐπίσταται (pro, μόνον ἔργον, χρῆμα, ὃ ἐπίσταται, ἐστὶ τοῦτο) ἐσθίειν. Videtur adeo ſupplendum eſſe ὥσε ἐσθίειν, aut alterum cum altero per appoſitionem cohaerens accipiendum, fere vt apud Heſiodum Op. 64.

—— —— αὐτὰρ Ἀθήνην (ἐκέλευσε)
Ἔργα διδαςκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱςὸν ὑφαίνειν.

V. 25. κακὸν χειμῶνα] *Frigus graue, quod male affieit corpus, acris hiems*, quae notio interdum etiam in latino *malus* deprehenditur, quod diſcas

diſcas ex Ill. Heynii nota ad Tibullum I, 2, 53. Sic apud Homerum eſt σίβη ναυή Od. ε. 467.

V. 26. δίφρον] In aperto eſt, hoc loco notare ſellam. Ex vocis etymo aliquid colligi ſi licet, videtur proprie talis fuiſſe, in qua duo homines ſedere poterant, idque proprie locum habebat in curru, cui duo inſiſtebant, ὁ ἡνίοχος et ὁ παραβάτης. Poſſit forſan illius opinionis praeſidium peti ex Picturis Herculan., vbi Tom. I. Tab. XVI. maritus cum vxore, vt opinor, in eadem ſella ſedens conſpicitur, quae iuſtam pro duobus hominibus menſuram habere videtur. Certior eſt alter vocis ſignificatus, illinc forte deductus, quo de quacumque ſella vſurpatur, isque ſatis eſt obuius. Exempla, quae adpoſui, tironum in gratiam, quibus minus notus eſt ille, adſcripta ſunto. Hymnus in Cerer. Homer. v. 198. vbi Ceres

Δηρὸν δ' ἄφθογγος τετιημένη ἧς' ἐπὶ δίφρῳ.

Theocr. in Adoniaz. XV, 2.

—— —— ὄρη δίφρον, Εὐνόα, ἀυτᾷ.

circumſpice ſellam, in qua ſedeat iſta. Haec ſatis luculenta ſunt, atque magis confirmantur auctoritate Pollucis XII, 11, 47., qui δίφρον ad domeſticam ſupellectilem refert. His iunge Foeſium in Oecon. Hippocr., Spanhemium ad Callim. H. in Iouem v. 67. Senſus huius et praecedentis

dentis verſus eſt: *tam ſocors, communis ſenſus expers eſt, vt ne ſellam quidem hiemis tempore ad ignem propius admoueat, ſeſe hoc facto a corpore frigus propulſuram eſſe ignorans.* Hic verus et vnicus loci ſenſus eſt, quem paullo abſtruſiorem librarii non intelligentes pro οὐτ' ἂν dederunt χ' ὥταν, quod Stephanus et Gesnerus exhibent, quodque ſenſum efficit prorſus languidum atque inutilem. Optime igitur ὀύτ' ἄν repoſuerunt Grotius et Brunckius, V. C. Apud Wintertonum eſt χ' ὁταν, mendoſe.

V. 27 - 45. Sequitur femina mutabilis, quae nullius eſt conſtantiae et modo placidam atque comem ſe praebet, modo iracundam atque morosam. Quam quidem feminam praeclare poeta cum mari confert, quod alio die tranquillum, alio turbulentum eſt. Pari modo apud alios mare ſymbolum inconſtantiae fuit, vt apud Propertium II, 12, 3., quem locum elegantiſſimum apponere iuuat:

Hic (artifex) *primum vidit, ſine ſenſu viuere amantes,*
Et levibus curis magna perire bona:
Idem nou fruſtra ventoſas addidit alas,
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Noſtraque non vllis permanet aura locis.

Nec ignorabat vetuſtas inconſtantes feminas, v. Homer.

Homer. Od. λ. 455. Tibull. III, 4, 61.

Ah! crudele genus, nec fidum femina nomen;
Ah! pereat, didicit fallere ſi qua virum:
Sed flecti poterit, mens eſt mutabilis illis.

Cf. Prop. II, 10, 34. ſq., et quae ſupra dixi ad v. 11.

V. 27. τὴν ἐκ θαλάσσης] ſc. γεγεννημένην pro τὴν θαλασσίην quaſi. Vt hoc loco, ſic etiam aliis ſaepiſſime obſeruandum venit, Graecos vti praepoſitionibus cum ſubſtantiuo compoſitis pro praedicato, loco participii aut adiectiui, quod ex orationis contextu facile a lectore ſubſtitui poteſt. V. c. apud Xenoph. Hell. I, 2, 5. οἱ ἐκ τῆς πόλεως, vbi tacite ſupplendum eſt: *oriundi*, aeque ac alio apud eundem loco Hell. II, 4, 29. ὑμῖν, ὦ ἐκ τοῦ ἄσεος ἄνδρες, ἐγὼ συμβουλεύω. Aliarum praepoſitionum ſic adhibitarum exempla quaerentem non fugient, v. Kuhn in Ind. ad Aelian. v. ὁ. Nec vſus hic alienus eſt a lingua latina. Cic. Div. I, 21. *ſpecies ex aere* (facta), cf. Virgil. Aen. IV, 487. et Ouid. Met. I, 127. Interdum etiam, praepoſitione omiſſa, ſolus genitiuus praedicati locum tenet, vt apud Theocr. III, 22. σέφανος ἰσσοιο pro ἰσσινος, v. Oudendorp ad Sueton. Aug. 94, pag. 329., quem locum laudat Heynius V. S. ad Virgil. Tom. IV. p. 216. Ceterum inuerſa ratione dedit Gesnerus: ἤδη ἐν φρεσὶν νόσι.

Ibid.

Ibid. *νάει*] Poteſt hoc vniuerſe dictum accipi, forte tamen alloquitur eum, ad quem carmen gnomicum, cuius noſtrum carmen fragmentum eſſe videtur, ſcriptum erat.

V. 29. Pro *μὲν* poſt *ἐπαινέσει* nullus dubito, quin legendum ſit *μὶν* pro *ἀυτὴν*, nam prorſus inutile eſt *τὸ μὲν*. Pro *ἐπαινέσει μὲν*, Wintertonus exhibet: *ἐπαινέσεἰ ἄν*.

V. 30. Ante *ὀυκ ἐϛὶν* ſubaudiendum eſt *ἐιπὼν*, quod verbum ſaepe omittitur, inprimis ſi, vt hoc loco, verbum praecedens vim illius vna complectitur. De hac in vtraque lingua ſolemni ellipſi fuſe agentes V. V. D. D. mihi otium faciunt, v. Boſius de Ell. Gr. pag. 439 ſq. vna cum V. V. D. D. additamentis, Weſſeling. ad Diodor. I. pag. 726., Valckenaer. ad Herodot. I, 82., Freinsheim. ad Phaedr. III, 15, 6., Burmann. ad Sueton. Aug. pag. 314., Corte ad Sall. Cat. c. XXXXVII. et Drackenborch. ad Liuii IV, 20. — Ceterum *λωΐων* hoc verſu ad animum, *καλλίων* ad corpus refertur.

V. 32. *τὴν δ'*] Sic dedi Gesnerum et Grotium ſecutus, ſenſu poſtulante, quamquam Stephanus et Brunckius exhibent *ἣ δ'*, quod ſenſum turbat, nam *τὴν δὲ* hoc verſu cum *τὴν μὲν* v. 28. arcte cohaeret, quorum altero ſublato alterum clau-

claudicat, immo totus ſenſus corruit, qui haud dubie eſt: *alio die* (*τὴν μὲν ἡμέρην*) *ridet, hilaris eſt femina illa, alio autem* (*τὴν δὲ*) *iraſcitur.* Eſt igitur ad *τὴν δὲ* e verſu 28. ſupplendum *ἡμέρην.* Sic omnia credo optime procedunt, nam illud *ἡδὲ* ſenſum contra mentem poetae aſperiorem reddit, videturque ab iis excogitatum, atque in locum genuinae lectionis ſubſtitutum eſſe, qui ſenſum illius non capiebant.

Ibid. *οὐκ ἀνεκτὸς — ἰδεῖν*] Graeci hunc adiectiui vſum ſibi proprium admodum amant, pro quo h. l. ſimplicius fuiſſet: *οὐκ ἀνεκτόν ἐσιν αὐτὴν ἰδεῖν.* Homerus Il. α. 589.

Ἀργαλέος (*ἐσὶν*) *Ὀλύμπιος ἀντιφέρεσθαι.*

cf. Il. v. 726. Heſiodus Op. 482.

—— —— *Ζηνὸς νόος Αἰγίοχοιο*
Ἀργαλέος (*ἐσὶν*) *δ' ἀνδρεσσι κατὰ θνητοῖσι νοῆσαι.*

Prae aliis autem adiectiua *δῆλος, ἔνδηλος, δίκαιος, χαλεπὸς, φανερὸς* aliaque, imprimis apud atticos ſcriptores hoc modo adhibita, occurrunt. Ariſtoph. Pl. 333.

—— *δῆλος δ' ἐσὶν, ὅτι τοῦ πράγματος*
Ἀκήκοέν τι, τῇ βαδίσει καὶ τῷ τάχει.

Herodot. IX, 60. *δίκαιοι ἐσὲ ἀμυνέοντες ἱέναι.* vbi v. Weſſeling., cf. Hoogeveen ad Viger. III, 4. pag. 84, 85.

Ibid.

Ibid. ἐν ὀφθαλμοῖσι] Hoc ornatus cauſa addidit poeta, ad ſenſum enim τὸ ἰδεῖν iam ſufficiebat, ad exemplum Homeri Il. σ. 135.

Πρίν γ' ἐμὲ δεῦρ' ἐλθοῦσαν ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἴδηαι.

Callinus apud Brunck Tom. I. pag. 39. v. 20. in Anal.

Ὥσπερ μὲν γάρ μιν πύργον ἐν οφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν.

Quid, quod haec locutio ad proſaicos tranſiit, v. v. c. Aelian. V. H. III, 26. Nec longe abit Thucyd. II, 11. ὁρᾶν ἐν ὄμμασι, v. Doctiſſimus Brunck. ad Apollon. Rh. IV, 1619. Non minus apud poetas obuium eſt: ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ſine vocula ἐν, quod ter exhibet nouus in Cererem hymnus v. 57. 319. et 330.

V. 33. ὅυτ' ἄσσον ἐλθεῖν] Simpliciter accipiendum eſt pro *accedere*, *conuenire*, diuerſa ſignificatione ab illa, qua eſt: *corrumpere feminam*, quam attigit Valckenaer V. S. ad Herodot. VI, 68. — In hoc verſu praeterea aliquis cenſeat τὸ ὀύτ' ſollicitandum atque mutandum in οὐδ', quo melius ceteris reſpondeat. Equidem in diverſa non abirem. Alia res eſſet, ſi ὀύτε praecederet atque ſequeretur οὐδὲ, vt ſupra v. 16. 17. et in Carm. Phocyl. v. 5., quod pag. 7. laudaui. Hoc enim linguae ratio ferre videtur ſecundum Brunck.

notas d'Orvillii ad Chariton. pag. 721., et Illuſtris Brunckii ad Eurip. Or. 295., et ad Aeſch. S. c. Th. 835. Verum de eo, an modus inuerſus aeque poſſit locum habere, adhuc admodum ambigo.

Ibid. μαίνεται] μαίνεσθαι de magna, vehementi ira, vt *furere* apud Latinos, v. Drackenborch ad Sil. VI, 253.

V. 34. ἅπλητον] Neutrum adiectiui pro adverbio ἁπλήτως, ſolita poetis ratione. Occurrit noſtrum ἅπλητον pro aduerbio etiam apud Heſiod. Theogon. 315.

— — — — Ἥρη
Ἄπλητον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ.

Sic pro aduerbiis vtuntur Homerus Od. δ. 721. τῷ ἄδινον, Od. ξ. 174. τῷ ἄλαον., Theocritus I, 149. τῷ καλὸν, Moſchus II, 97. τῷ μειλίχιον. aliisque alii, e quibus exempla congeſſit Bergler ad Alciph. I, 38. Quis neſcit Horatianum illud, quo hanc Graecorum elegantiam imitatur I, Od. XXII, 23.

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

— Quod ad vim vocis attinet, ea admodum poetica nihil amplius eſt quam: *vehementer*, *valde*, *magnum in modum*, et aliquot locis de ira ac-

commodate vſurpatur a veteribus, vt in nuper reperto hymno in Cererem v. 83.

— — — ἀδέ τί σε χρὴ
Μὰψ ἄυτως ἄπλητον ἔχειν χόλον. —

vbi noſtrum locum, vna cum Heſiodeo modo mihi laudato, perite admouit Ruhnkenius V. S. dignus, qui conferatur ad h. l. — Praeterea ἀμφὶ h. l. eſt pro παρά. — Caeterum comparatio ipſa iracundi hominis cum cane, catulos nutriente, docta ſane, apta atque elegans eſt, tum enim canes vt alia animalia, maxime feroces atque rabidi eſſe ſolent, quod Homero etiam notum erat Od. υ. 14.

Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα
Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει, μέμονέν τε μάχεσθαι,
Ὡς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.
Στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ.

V. 35. ἀποθύμιος] Sic emendauit Ill. Brunck, cum antea omnes legerent: κἀποθύμια, quod graeca lingua ignorat. Priſtina lectio forſan profecta eſt ab imperito librario, qui, legens ἀποθύμιος, quoniam genera male inter ſe conuenire opinabatur, praepoſtere inde confecit ἀποθύμια. Nec melius vox explicata eſt ab interpretibus, qui reddunt *infenſa*, vnde colligo, actiue ſumſiſſe. Qua notione cum, quantum ſcio, careat vox, apud Homerum autem et apud alios paſſi-

ve

ve notet, *inuiſus;* etiam hoc loco illam ſic accipere praeſtat, cui quid aduerſetur, non video, cum optimus ſenſus exeat, qui adeo eſt: *aſpera atque infenſa, adeoque inuiſa eſt amicis pariter atque inimicis.*

V. 38. Θάλασσα ἔσηκε] Poſterius vocabulum eſt ſane ornatiſſimum, atque tranquillitati maris accommodatiſſimum, quod tum, cum nullis fluctibus exaſperatur, nullisque ventis turbatur, *ſtare*, h. e. *immotum eſſe* a poetis dicitur. Proxime accedit vſus vocis, cum de terra, ſcopulis aliisque vſurpatur, vt notionem aliquam amplitudinis atque firmitatis inuoluat, vt apud Archilochum de inſula ap. Brunck. in Anal. Tom. I., nro XXI. pag. 44.

Ἥδὲ ὥς' ὄνου ῥάχις
Ἔσηκεν ὕλης ἀγρίας ἐπισεφής.

Tibull. II, 4, 9.

Quam mallem —— —— ——
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis?

Ceterum ex noſtro loco forſan colorem duxit Virgilius Ecl. II, 26.

—— —— *nuper me in littore vidi,*
Quum placidum ventis ſtaret mare. —

v. d'Orville ad Chariton. pag. 305. Qui ſimplici modo ſententiam huius verſus expreſſiſſet, dixiſſet haud dubie: ἐσὶν ἀπήμων pro οὐ βλάπτει,

quamquam minime illa vox totam vim τοῦ ἑστηκέναι exprimit, v. Heyne V. Celeberr. ad Tibull. I, 1, 63. Iungenda ſunt porro: ὥσπερ θάλασσα ἀτρεμὴς πολλάκις μὲν (οὖσα) ἔσηκ' ἀπήμων, atque vertendum, vti in verſione feci. Obſeruandum denique τὸ ἑσηκέναι eſſe pro praeſenti, quemadmodum et aliis locis, v. Clark. ad Il. δ. 434.

Ibid. χάρμα] Homeri exemplo, pro κεχαρισμένον. Contrarium πῆμα. Sic Latinis *gaudium* pro re laeta, grata, iucunda.

V. 39. θέρεος ἐν ὥρῃ] Periphraſis pro ἐν θέρει, nam ὥραι varias anni atque per vices ſuccedentes tempeſtates deſignant. Eadem tamen interdum occurrit etiam in ſoluta oratione, v. c. in V. H. Aeliani III, 1. Pari modo εἴαρος ὥρη pro ſimplici ἔαρ interdum obuium eſt apud poetas, v. v. g. nouum in Cererem hymnum v. 174.

Αἱ δ' ὥς τοι ἔλαφοι, ἢ πόρτιες ἔαρος ὥρῃ
Ἄλλοντ' ἀν' λειμῶνα κορεσσάμεναι φρένα φορβῇ

Meleagrum in excellenti in ver idyllio v. 2. ap. Brunck. in Anal. Tom. I. p. 31. nro. CX.

Χείματος ἠνεμόεντος ἀπ' ἀἰθέρος ὀιχομένοιο
Πορφυρέῃ μείδησε φερανθέος ἔαρος ὥρῃ.

V. Spanheim ad Callim. H. in Apoll. 81.

Ibid. μαίνεται] Notum eſt poetas, tum graecos, tum latinos mari, vt aliis rebus, ſenſus

ſus et vitae expertibus iram aut furorem tribuere ſolere. Apprime conuenit Moſchus V, 5.

— ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθὸς, ἀὶ δὲ θάλασσα
Κυρτὸν ἐπαφρίσσῃ, τὰ δὲ νύματα μακρὰ μεμήνῃ·
Ἐς χθόνα παπταίνω καὶ δένδρεα, τὰν δ' ἄλα φεύγω.

Notum Virgilii: *Furit aeſtus arenis.* Exempla huius elegantiae omnino non rara ſunt apud poetas, v. Miſcell. Obſerv. Batav. Vol. IV. pag. 8. 9.

V. 40. φορευμένη] Verbum iactationibus maris atque ventorum proprium. Alcaeus ap. Steph. in Lyricis Parte II. pag. 14. ed. Pariſ. 1560.

— — ἄμμες δ' ἀν τὸ μέσον (κῦμα) ναῖ
Φορήμεθα σὺν τᾷ μελαίνᾳ — —

Solon ap. Brunck. Tom. I. Anal. pag. 67. nro. VI. v. 45.

— — — ὁ μὲν κατὰ πόντον ἀλᾶται
Ἐν νηυσὶν — — —
— — ἀνέμοισι φορεύμενος ἀργαλέοισι.

V. 41. 42. Hi duo verſus nullam quidem novam ſententiam inferunt, ſed ſententiam, quam poeta modo propoſuerat, repetunt tantum. Hoc tamen ſaepe fit a ſcriptoribus, cum rei alicui aut dicto, quod graue iis videtur, maiorem fidem facere volunt. Nec adeo ſuppoſititii hi verſus ſunt iudicandi.

V. 42. ὀργὴν] ſc. κατὰ. Male Grotius legit ὀργῇ, attributis enim Graeci quartum caſum tribuunt; quare admodum miror, viros doctos illum e MS. non reſtituiſſe Homero Od. ε. 337., vbi, me quidem iudice, ποτὴν longe praeferendum eſt lectioni multo deteriori ποτῇ. — ὀργὴ, quod deriuatur ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι, ſignificat h. l. *ingenium*, *indolem*. Theogn. 312.

Γιγνώσκων, ὀργὴν ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.

Tyrtaeus II, 8.

Εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου.

Ariſtoph. in Equit. 41.

—— νῷν γάρ ἐσι δεσπότης
Ἀγροῖκος ὀργὴν —— ——

qui locus noſtri loci lectionem ſtabilit. Herodot. VI, 128. διεπειρᾶτο αὐτέων τῆς τε ἀνδραγαθίας καὶ τῆς ὀργῆς &c. Cf. quae comparauit Klotz ad Tyrtaeum pag. 45. Hinc voces ἐυοργησία, ἐυόργητος dicuntur de be moratis, v. Ill. Valckenaer ad Hippol. pag. 275. 276. Vſum hunc vocis ὀργὴ in latinam *ira* transtulit Graecorum imitator Propertius II, 10, 34., vbi forte ad noſtrum locum reſpexit,

Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non conſtat foedus in ira &c.

quod etiam vidit Rev. Marklandus apud Burmannum l. c. pag. 217. in nouiſſima editione.

V. 43-

Ibid. *Φυὴν δ' ὡς πόντος*] Sic recte Grotius et Brunckius. Gesnerus perperam *Φυὴν, δὲ πόντος*, quem etiam Stephanus sequitur, apud quem operarum credo vitio est *Φυγὴν*, nam nullum sensum praebet, optimum contra *Φυὴν*, quod ad animum h. l. refertur, cum proprie de corporis statura vsurpetur. Vide, quae de hoc et cognatis verbis disputauit Valckenaer ad Ammon. II, 2. pag. 87-90., et Koen ad Gregor. de Dial. pag. 155. *ἀλλοίη Φυὴ* igitur ad animi inconstantiam pertinet.

V. 43-50. Pigram et socordem feminam describi, ex comparatione cum asino iam apparet, quem apud veteres, vt apud nos, pigritiae symbolum fuisse, testatur Homericum *ὄνος νωθὴς* Il. λ. 558. v. Gudius ad Phaedr. III, 6, 2. Adde Aelian. V. H. IV, 8. et ibi Perizonium. Inde prouerbia fluxere: *Asino narratur fabula; Asinus ad tibiam.* Praeter illam autem duo alia vitia huius feminae videmus vituperare poetam, alterum lasciviam, alterum voracitatem. Necesse adeo est, veteres asinum pro lasciuo atque vorace animante habuisse. Illud testantur Lucian. Pisc. T. I. p. 603., vbi philosophos *ἀσελγεσέρους τῶν ὄνων* nominat, et Plinius ex natura asini. H. N. VIII, 43. vbi, *incontinens vterus* (asini) ait *vrinam genitalem reddit, nisi cogatur in cursum verberibus a coitu.*

In hoc probando multus eſt Kuhn ad Aelian V. H. I, 27., vbi prouerbium ὄνου γνάθος inde manaſſe obſeruat. Dicta quaedam veterum in voluptuarias gulaeque deditas feminas inuenies ap. Heſiod. Op. 700 ſq. et apud Aelian. V. H. II, 41. ἄτοπον μὲν γυνὴ πολυπότις καὶ φιλοπότις ἔτι μᾶλλον. Proprio iſtae nomine appellabantur μισῆται v. Valckenaer ad Ammon II, 18.

V. 43. σποδιῆς καὶ παλιντριβέος] Illud ad giluum aſini colorem pertinet, quod Ill. Brunck poſt Salmaſium ad Solinum p. 181. recte vidit, cum ante interpretes male ducerent a σποδιὰ cinis, quod ineptum videtur. Alterum παλιντριβὴς labores et onera, quae ſuſtinet, deſignat, ex propria vocis ſignificatione, qua laboribus et moleſtiis tritum notat, vnde transfertur deinde ad verſatos aliqua in re, callidos, verſutos; quam vim a natura illius abhorrere, dicere ſuperſedeo.

V. 44. σύν τ' ἀμάγκῃ, σύν τ' ἐνιπῇσιν] σὺν h. l. eſt pro διὰ. Anacr. XXV, 9.

Σὺν τῷ δὲ πίνειν ἡμᾶς
Εὔδουσιν αἱ μέριμναι.

V. 45. ἔρεξεν καὶ πονήσατο] *facit*, *facere ſolet*, quam aoriſtorum vim, qua pro praeſenti, vt h. l., aliisque temporibus ponuntur, iam ipſum nomen arguit. Sic infra v. 49. ἐδέξατο pro δέ-

χεται

χεται occurret, atque ſic aoriſtum pro praeſenti poſitum inuenies in Fragm. Simonid. ap. Brunck. in Anal. T. I. nro. XVIII, v. 18. pag. 129.

Οἱ δ' ἀγχόνην ἍΨΑΝΤΟ δυσήνῳ μόρῳ,
Κ' ἀυτάγρετοι λείπουσιν ἠλίου Φάος.

In Fragm. Ionis ap. Br. Tom. I. Anal. nr. I. v. 12. pag. 161.

Τῶν ἀγαθῶν βασιλεὺς ὅινος ΕΔΕΙΞΕ Φύσιν.

In Meleagri idyll. in ver ap. Br. Tom. I. Anal. pag. 31.

Χείματος ἠνεμοέντος ἀπ' ἀιθέρος ὀιχομένοιο,
Πορφυρέη ΜΕΙΔΗΣΕ Φερανθέος ἔιαρος ὥρη,
Γαῖα δὲ πυανέη χλοερὴν ἘΣΤΕΨΑΤΟ πόλην,
Καὶ φυτὰ θηλήσαντα νέοις ἘΚΟΜΗΣΕ πετήλοις.

Exempla ex Homero ſi quis requirat, cf. Il. λ. 557., ν. 278., Od. δ. 339., ξ. 464. Plura dant Graeuius Lect. Heſ. p. 134., Hemſterh. ad Lucianum pag. 516., Erneſti V. V. ad Xenoph. M. S. II, 4, 7. Proprietatem hanc ſermonis a graecis mutuatos eſſe latinos poetas, praeteritis tamquam aoriſtis praeſentium loco vtentes, procul dubio eſſe videtur, v. v. c. Horatius III. Od. II, 31.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit *pede poena claudo.*

In his tractandis tironum cauſa longior eſt Hoogeuenus ad Viger. pag. 212-215.

Ibid. ἔρεξεν ὄυν] Hic non omnino conſentiunt libri. Gesnerus legit ἔρεξε ὤν, vitioſe haud dubie pro ὦν; Stephanus et Wintertonus ἔρεξε γ' οὖν, pro quo Cel. Brunck. malit ὦν, Ionica forma, quam et infra reſtituere vult v. 67. Equidem vulgatam lectionem, quam etiam Grotius ſeruat, retinere malui, nam primo, ſi quid h. l. mutaſſem, ὦν etiam infra a me reponendum erat, vt poeta ſibi conſtaret. At ibi absque omni librorum conſenſu hoc facere nolui. Deinde non videntur tam accurate vſi eſſe poetae, ſua quisque dialecto, vt iis licitum non fuerit, vnum vel alterum vocabulum aliunde ſumtum vſurpare, quod numeris poeticis magis conveniret, aut auribus gratius ſonaret. Poſſem hoc pluribus declarare, ſi hic eſſet locus, nec tamen opus erit, cum vel ſola Homeri auctoritas, cuius ſtilum atque ſermonem poeticum omnes alii poetae, qui ionice ſcripſere, ſuum fecerunt, ſatis tueri poſſet τὸ οὖν, quod hoc loco neque αἰτιόλογον eſſe videtur, quamuis aliquis argutari poſſet, neque pleonaſtice poſitum, quod ſaepiſſime fieri tradit Euſtathius ad Od. α. 414., ſed potius ſententias connectit, illisque grauitatem aliquam addit. Reſpondet fere noſtratum particulae *nun*, et ſic paſſim in Homero occurrit, v. v. c. Il. φ. 49., Od. γ. 84., ϑ. 272., ι. 147.

V. 46.

V. 46. ἀρεσά] marito ſcilicet — τόφρα h. v. eſt *interea*, et ſenſus adeo: *ſemper edit, etiam ſi aliud quid agit, negotiisque domeſticis eſt occupata*, e natura ſocordium et voracium feminarum. Atque facit hoc ἐν μυχῷ, quod ſecundum interpretes eſt *in ſecreto, recondito domus loco*. Attamen mihi paene praeplacet, intelligere h. l. gynaeceum, quod in penetralibus, in poſtica domus parte erat, atque a ſolis feminis habitabatur. Hic enim aeque, ac in alio domus receſſu, tutior erat ab aditu mariti ſui, atque melius gulae ſuae indulgere poterat. Sed videant doctiores.

V. 47. προνὺξ, προῆμαρ] poetice pro ἀεὶ. πρὸ, quod proprie continuationem et durationem, aut etiam expletionem actionis denotat, ſaepe in compoſitis nullam habet emphaſin, vt in Homericis: πρόπαν, προπέμπειν, προιάπτειν, προφαίνεσθαι, προφέυγειν, προλείπειν, προπέμπειν. Recte pro ſimplicibus accipiunt V. V. D. D. Anacreontis προπίνειν IV, 3. et Morus V. C. Iſocr. et Xenoph. προκρίνειν in Panegyr. cap. 3. atque in Cyrop. II, 3, 5. pag. 74. Nec in Virgiliano *praemittit* I. Aeneid. 644. ex imitatione Graecorum vlla emphaſis ineſſe videtur, quod omnibus interpretibus in hac voce temere argutantibus rectius animaduertit egregius noſter Heynius,

nius, Vir graece eruditiſſimus. Quid multa? ſimplicia locum tenere compoſitorum, et compoſita ſimplicium, notiſſimum.

Ibid. ἐπ' ἐσχάρῃ] *ad, iuxta focum*, ad quem ſedere hominum molliorum putabatur. Qui enim hoc facere ſolebat, is mollis eſſe videbatur, v. d'Orville ad Chariton. pag. 538.

V. 48. 49. Iungenda ſunt: ἑταῖρον ἐλθόντα πρὸς, non autem ἐδέξατο πρὸς, nam h. l. πρὸς exquiſite notat idem quod ἕνεκα, χάριν, quam poteſtatem inter alias rariores easdem attigit d'Orville ad Chariton. pag. 554. Nec aliter videtur accipiendum in Eurip. Androm. 944., vbi, poſtquam dixerat Hermione, ſe deprauatam eſſe malarum feminarum conſuetudine, deinde ſubiungit:

—— —— πρὸς τἀ δ' ἔυ φυλάσσετε
Κλεῖθροισι καὶ μόχλοισι δωμάτων πύλας.

h. e. *quare vos malas feminas aditu ad domos veſtras intercludite.* Non abſimile eſt Liuianum II, 11. *ad cuſtodiam* pro cuſtodiae cauſa, vbi vide Dukerum.

Ibid. ἑταῖρον] Sicut ἑταίραι feminae ſunt publice rem meretriciam exercentes, ſic ἑταῖροι ex hoc loco eſſent, qui, quas poſſint et velint feminas, ſine honeſti ratione, libidinis explendae cauſa,

cauſa, ſectantur. Aliunde mihi hic vſus nondum innotuit.

V. 50-57. Sequitur nunc femina rapax atque maligna, quae bene ad morem antiquitatis cum muſtela comparatur, vt patet ex Luciano Piſc. I, pag. 603., vbi philoſophos ἁρπακτικωτέρους τῶν γαλῶν appellat, cf. Artemidor. Oneirocr. III, 28. γαλῆ σημαίνει γυναῖκα πανοῦργον καὶ κακότροπον. Videtur autem non felis, ſed muſtela, ferioris naturae animal, eſſe intelligenda, de qua vocis notione compara Intt. ad Aelian. V. H. XIV, 4.

V. 50. δύσηνον, ὀϊζυρὸν γένος] Sine copula, vt v. 13. et 76., quod poetam magis decet. γένος per appoſitionem ad feminam refertur. Qua voce cum poeta de vna tantum vteretur; haud dubie, vt in tot aliis locis huius carminis, totum genus eiusmodi feminarum in animo habuit.

V. 51. 52. κείνῃ — ἐράσμιον] Senſus eſt: *nullam prorſus animi bonitatem morumque ſuauitatem habet.* Ne autem quis poetam criminetur, quod tot verba ad vnicam rem exprimendam adhibuerit, quo munere vna tantum ex illis fungi potuiſſet: cogitandum eſt, poetam hoc feciſſe, quo maiorem vim atque venuſtatem dicto ſuo adderet,

deret, nam ſuperlatiuo hic modus acrius intendit, immo magis poeticus eſt, v. Burmann ad Ovid. Met. IX, 623. Hanc in rem nonnlla pulchre atque acute animaduertit Hermogenes in Lib. περὶ μεθόδ. δεινότ. cap. 4., vbi ſic diſputat: Ὅταν πολλὰ ὀνόματα ἔχῃ τις ἰσότιμα, καὶ ὁμοίως ἔχοντα ἐνάργειαν χρήσιμον, ἡ ποικιλία ἁρμόζει.

V. 52. πρόσεσι] Huic προσεῖναι tum eleganter graeci locum dant, cum attributum, virtutem animi aut corporis exprimere volunt. Demoſth. Tom. I. pag. 268. E. R. ἃ δεῖ προσεῖναι τῷ δημοτικῷ, et pag. 315. αἰσχρὰ αὐτῷ προσόντα. Palaeph. I, 7. οὐδὲν (μέρος) πρόσεσι ταύρου τοῖς Κενταύροις. Simili modo παρεῖναι eſt apud Pindarum Ol. VI, 30, Homer. Od. β. 62. et Anacr. LIV, 2. οὐ πρόσεσι καλὸν adeo nihil amplius eſt quam οὐ καλή ἐσι.

V. 53. ἐυνῆς – ἀΦροδισίης] ἐυνὴ h. l. *res venerea*, *concubitus*, vt paſſim poetis.

Ibid. ἀδηνής] In hac voce valde variant libri. Gesnerus legit ἀληνὴς, malit autem ἀκηλὴς quod vitium typographicum eſſe ſuſpicor pro ἀκηδὴς, vnde Grotius effecit ἄλυπτος. Miror Grotio, alias ſagaciſſimo, in mentem non veniſſe τὸ ἀληνὴς mutare in ἀδηνὴς, cum lineola tantum diffe-

differant ΑΛΗΝΗΣ et ΑΔΗΝΗΣ. Optime igitur Ill. Brunck. cum Stephano legit ἀδηνὴς, cuius vocis ad ſenſum ſane aptiſſimae interpretationem petas ex Heſychio, vbi ἀδηνείη, ἀπειρία. Deriuanda eſt vox a δῆνος *conſilium, prudentia.* ἀδηνὴς ε. α. adeo eſt, *imperita rei venereae, h. e. eam non exercens, eam abhorrens*, v. ad v. 23.

V. 54. τὸν ἄνδρα – ναυσίῃ διδοῖ] Locutio elegantiſſima pro ſimplici: ποιεῖ ἄνδρα ναυσιῶντα. (ſui ſc.) Homerus Il. ε. 397.

Εὖτέ μιν αὐτὸς ἀνὴρ, υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
Ἐν Πύλῳ, ἐν νεκυέσσι βαλὼν, ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.

Theocr. VII, 123.

—— —— ὅδ' ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ
Κοκκύζων νάρκῃσι ἀνιαραῖσι διδοίη.

Horum memor Cl. Heynius in Tibullo I, 1, 5. pro ſumma, quae in eo viro eſt, vtriusque ſermonis peritia, τὸ *tradere* praefert alteri lectioni *traducere*, illam vocem interdum aemulari graecam διδόναι hoc vſu praeclare obſeruans, in quo, nemo erit, quin facile V. S. adſentiatur. — Ceterum pro συνόντα St. et Wint. legunt παρόντα. Sed illud accommodatius eſt, v. ad v. 100. Item pro διδοῖ Gr. habet τίει, mendoſe.

V. 56. Senſus: *tam rapax eſt, et tam cupida carnis vorandae, vt, ne immolata quidem carne, nulla*

nulla religione abſterrita, veſci adeo auſit, ex natura muſtelarum, quas conſtat eſſe maxime rapaces, vnde Ariſtophanes in Veſp. 362. γαλῆν πρέα πλέψασαν memorat. De verbis ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίει locum et hic habebunt, quae Caſaubonus notat ad Athenaeum I, XI. pag. 35. vbi obſervat, verba haec in prouerbium abiiſſe, de hominibus improbis dici ſolitum, qui animalia in proprios vſus mactare veriti non ſint, adeo, vt Deos ab omni parte excluderent, etiamſi hoc maximum fuerit nefas.

V. 57-71. His verſibus femina proponitur, cui nihil antiquius eſt, quam vt pulchritudinem corporis ſui, qua ſummopere capta eſt, in dies augeat, quare omnem rem familiarem negligit, ne elegans forma detrimenti aliquid inde capiat. Non autem ad corpus ſuum ornandum tantopere incumbit, vt marito placeat, quam potius vt aliis. Talem Galli dicunt *une coquette*. Comparatio inſtituitur cum equo, et tertium comparandi ineſt in nitido habitu, elegantia, munditie corporis, quippe quae in equis cernitur. v. Aelian. H. A. XVI, 24., vbi et hos verſus citat. Probant hoc etiam epitheta equorum, v. c. apud Theogn. 257. in Il. ε. 323. et Od. γ. 475., vbi καλαὶ, καλλίτριχες nominantur. Cum hisce conueniunt illa Phocyl. l. c.

—— —— ἡ δ' ἵππου χαιτηέσσης·
Εὔφορος ἡ δὲ, ταχεῖα, περίδρομος, εἶδος ἀρίστη.

et Eurip. El. 1072:

Γυνὴ ἥτις δ' ἀπόντος ἀνδρὸς εἰς κάλλος ἀσκεῖ,
Διαγράφ' ὡς ὄυσαν κακήν. —— ——

V. 57. ἀβροχαιτόεσσ'] In hac voce magnus est librorum dissensus. Gesnerus legit ἀκηχαιτέης, et in margine tamquam l. v. exhibet ἀβρηχαιτόεσσ'. Sed haec sunt monstra lectionum. Stephanus, quem sequitur Winterton, diuisim exhibet ἀβρὴ χαιτήεσσ', pro χαιτήεσσα. Idem apud Aelianum est, vnde Grotius deinde confecit ἀβροχαιτόεις. Non ignorans autem Cl. Brunckius, veteres graecorum poetas omnibus fere animantibus femininum iungere solere, de quo vide Spanhemium ad Callim. H. in Dian. 102., et Ernesti V. C. ad H. in Lav. Pal. v. 2., optime reponit ἀβροχαιτόεσσ'. In nullo alio enim saepius lapsi sunt librarii, quam in eo, vt apostrophum, qui participia feminina notaret, praetermitterent, adeoque masculina e femininis facerent, vnde tot corruptelae manarunt. Vt afferam exemplum, librarii in epigrammate apud d'Orville ad Chariton. p. 150. pessime scripserunt pro πείσασ' masculinum πείσας. Probo igitur Brunckii V. C. emendationem. E vestigiis lectionum praeferrem

tamen ἀβροχαιτήεσσ', vt magis ionicum, cui nihil obſtat η per ſe longum, quandoquidem ob ſequentem vocalem corripitur, v. Clarke ad Il. o. 24. Vtro tamen modo ſcribere malis, aliam vocis auctoritatem deſiderabis, qua de cauſa neſcio, annon potior ſit Stephani lectio, imprimis cum equi gaudeant epitheto χαιτήεσσα, vt ex Homero aliisque nouimus.

V. 58. ἡ δύην – περιτρέπει] Nihil variant libri in hoc verſu, niſi Aelianus, apud quem pro ΔΥΗΝ eſt ΑΤΗΝ, quod quomodo h. l. ſtare poſſit, equidem non video, cum nulla vocis poteſtas hic congrua ſit. Nec magis perſpicio, quid ſibi velit Gesnerus, cum lectioni illi patrocinatur, quae niſi fallor, nata eſt ex ſimili litterarum ductu. E contrario vocula δύη multo accommodatior eſt, et ſignificat, Heſychio interprete, i. q. πόνος, labor, quem domeſticum h. l. intelligere debes. Frequentius, imprimis apud tragicos, notat illa vox *miſeriam*, *aerumnam*. Hactenus bene. Quid autem eſt δύην περιτρέπειν? Poſterius vocabulum haud dubie laborat, nam ex contextu ſignificatione eſt accipiendum, quam nusquam habet, vt ſit nempe *auerſari laborem*. Animaduertens hoc Ill. Brunck emendabat ἀποσυγεῖ, pro quo a vulgata lectione nimis remoto mallem παρεκτρέπει vel παρατρέ-

πει,

περὶ, quod commode de eo dici poſſe videtur, qui aliquam rem a ſe alienat, eam detrectat. Subaudiri tum deberet: ἑαυτῆς, ἀφ' ἑαυτῆς. Certe παρὰ et περὶ ſimillimo ductu ſcripta ſaepe inter ſe confuſa ſunt, v. d'Orville ad Chariton. pag. 699. 700., Weſſeling ad Herodot. V, 61., et imprimis Caſaubonum ad Athenaeum L. I. Cap. VI. pag. 25.

V. 59. μύλης ψαύσειεν] Poetice, pro ſimplici *molere*. Intelligenda eſt mola manualis, quae ex duobus lapidibus molaribus conſtabat, quorum ſuperior, qui ὄνος dicebatur, in inferiore, qui immotus erat, ab vnico homine circumactus grana frangebat, cf. Hutchinſon ad Xenoph. C. E. pag. 49., Moretum Virgilii cum hisce atque ſequentibus, imprimis a v. 21 - 30 et a v. 38 - 51., atque Heyne V. C. ad Aen. I, 179. Molere fuiſſe feminarum negotium etiam ex Homero ſcimus Od. η. 103.

Πεντήκοντα δέ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες·
Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπὸν.

&c. cuius loci vna cum noſtro Simonideo etiam meminit Feithius in Ant. Homer. pag. 421. ſq., vbi pluribus ritum iſtum illuſtrauit. Hinc paſſim ἀλέτριδες commemorantur, vt a Callim. H. in Del. 242., ab Ariſtoph. Lyſiſtr. 644., vbi vide Scholion.

V. 60. κόσκινον ἄρειεν] κόσκινον ἄιρειν non minus eleganter dictum, quam μύλης ψάυειν, pro *cribrare*, nam neceſſe erat cribrum tollere, vt farina ſubtus excerni atque excidere poſſet. Haec cribra apud veteres, vt inter nos, variae erant texturae et pretii. Texta eorum πλέγματα erant partim ex iuncis, quibus pauperes vtebantur, partim ex lino, quibus opulentiores, v. Pollux VI, 74. et Moretum v. 40. ſq.

Transfert inde (Simulus) *manu fuſas in cribra farinas*
Et quatit. At remanent ſummo purgamina dorſo:
Subſidit ſincera, foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. — — —

Hoc opus facere peculiari vocabulo Graeci βράττειν vocabant, v. Ruhnken. V. C. ad Timaeum pag. 46. Idem feminarum erat, vnde in domo ſponſi nouae nuptae cribrum eſſe traditum, memoriae proditum eſt.

V. 61. πρὸς ἵπνον ἵζοιτ'] Etiam hoc femineum negotium erat, ad furnum ſedere, cum panem aliaue edulia coquere vellent, (cf. Heynius V. C. ad Virgil. Aeneid. I, 703.) vnde feminae σιτοποιοὶ paſſim commemorantur a veteribus, v. Xenoph. Oec. X, 10., Theoph. Char. IV, 2. cf. Weſſeling ad Herodot. III, 150., et imprimis Duker ad Thucyd. II, 78. p. 148.

V. 62.

V. 62. θαμβόλῃ explicatur a Scholiaſte Ariſtoph. ad Theſmophor. 752. ἡ σαπτὴ αἰθάλη τοῦ πυρὸς, *glimmende Aſche*, quam femina haec ideo euitat, quoniam veretur, ne bellum corpus ſuum, aut veſtimenta contaminata, aut fauilla laeſa minus placeant. Vt hoc adhuc addam, proprie πρὸς notione τοῦ *apud* tertium caſum poſtulaſſet; at legem non ſemper obſeruari in his, oſtendit nuper Ill. Brunck. ad Aeſch. Prom. 348. pag. 292., et ad Apoll. Rh. II, 496. pag. 222.

Ibid. ἀνάγκῃ ποιεῖται φίλον] ἀνάγκῃ eſt pro σὺν ἀνάγκῃ, ex Homero, atque ποιεῖται eſt accipiendum ex vi medii, et vertendum *ſibi facit amicum*, v. Kuſter de Verbis Med. I, 32., et Clarke ad Il. γ. 141. Senſus eſt: *etſi ob iſta faſtidia maritum vxori iraſci eſt neceſſe; tamen haec illum, cum elegans corpus ſuum eius oculis ſubiicit, eique voce et vultu blanditur, ſibi fauere adeo cogit.*

V. 63. πάσης ἡμέρης] ſc. ἐπὶ, quo caſu Graeci ad tempus, quo aliquid fit, declarandum fere vtuntur: rarius tertio et quarto caſu. — Praeterea iungenda ſunt ἄπο — λοῦται, cuiusmodi tmeſes, quas ex Homero iam ſatis nouimus, vt admodum frequentatas poetis illuſtrant Koen ad Gregor. de Dial. pag. 211. et Valckenaer. Cel.

ad Hippol. pag. 265. Medium h. v. iterum peculiarem vim obtinet, ſignificatque adeo ἀπολοῦσθαι *abluere ſe*. Vide quae de hoc verbo commentati ſunt Kuſter. de V. M. I, 7. et Dreſig. de V. M. N. T. I, 78. — Poeta reprehendit h. l. feminas, quae ante coenam, aut ante rem diuinam ſe lauare non contentae, bis aut ter per diem elegantiae ſuae ſe lauando aut vngendo conſulere volunt.

V. 64. In margine notauit Gesnerus, pro ἄλλοτε alios legere πολλάκις, quod Grammatici interpretamentum redolet.

V. 65. Pro ἀεὶ legere malim ἀιεὶ ex conſuetudine poetarum, qui ionice ſcripſerunt, imprimis ex perpetuo Homeri more.

Ibid. φορεῖ] Quae ad corporis cultum pertinent, dicuntur φορεῖσθαι. Sophocl. El. 269.

—— —— ἐισίδω δ' ἐσθήματα
Φοροῦντ' ἐκείνῳ ταὐτά. —— ——

Anacr. XX, 8.

Ἐγὼ χιτὼν γενοίμην,
Ὅπως ἀεὶ φορῇς με.

Ibid. χαίτην ἐκτενισμένην] ſimpl. *comam compoſitam*, *formatam*, *concinnatam*, quicquid dicat Salmaſius ad Solin pag. 760. E. P. Reprehendit

dit poeta h. v. atque ſq. mulieres, quae nimio aliis placendi ſtudio ſeſe virginum more exornant.

V. 66. βαθεῖαν] Facile patet, κόμην βαθεῖαν non eſſe comam natura ſpiſſam, ſed arte adiutam; dicitur enim femina eam ornatus cauſa geſtare. Sunt igitur crines intelligendi condenſati religando et plicando, atque huc imprimis referendi corymbi, h. e. capilli in vertice capitis colligati et conglomerati, de quibus v. Intt. Aeliani V. H. XV, 22., et Salmaſium ad Solin. pag. 760. E. P., quosque geſtare virginum potius erat quam mulierum, teſtibus Salmaſio l. c. et Spanhemio ad Callim. H. in Cer. v. 5. Haud raro τὸ βαθὺς crines formatos etiam alibi deſignat, nec aliter in Moſcho II, 102. τὸ βαθυπλόκαμος accepit Cl. Harleſs. Nolim tamen, credere aliquem, hoc eo valere, vt vsquam βαθὺς crines natura denſos notare poſſe negem, nam frequens eſt hac notione, v. c. v. Simonidis Fragm. ap. Br. in Anal. VII, 10. Verbo, βαθὺ omne in ſuo genere amplum, magnum, denſum dicitur, praeſertim autem hac poteſtate de crinibus, aut de iis, quae crinibus ſimilia ſunt, de coma arborum, ſegete, plantis &c. frequentatur. Apparebit hoc v. c. ex Homer. Od. ι. 134., Theogn. 107., Theocr. IV, 51. Moſcho V, 11. Adi etiam Spanhemium ad Callim. H.

in Cererem 114. item Klotzium ad Tyrtaeum pag. 74.

Ibid. *ἀνθέμοισιν ἐσκιασμένην*] In hisce verbis licet admirari poetae artificium; quanto enim exquisitius est atque ornatius *ἐσκιασμένην* vulgaribus dictionibus *κοσμηθεῖσαν*, *στεφανωθεῖσαν*! Alius praeter hunc locus Simonidis est in Anal. Br. LXXVI, 4., in quo eadem sermonis venustas inest, quemque huc adscribam.

Αἱ Διονυσιάδες (Ὧραι) μίτραισι (f. μύρτοισι)
δὲ καὶ ῥόδων ἀώτοις
Σοφῶν ἀοιδῶν ἐσκίασαν λιπαρὰν ἔθειραν.

Eandem elegantiam saepe habere latinum *vmbrare* ad Ouidii Met. III, 665. ostendit Burmannus.

V. 67. *θέημα*] Hanc lectionem magis ionicam iussu Brunckii ex Aeliano recepi. Per appositionem dictum est, vt *πῆμα*, *χάρμα*, *κῦδος*, *θαῦμα*, *σθένος* aliaque apud Homerum. Respondet Liuianum IV, 20. *longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus*: v. etiam ad v. 74.

V. 69. 70. Sensus horum versuum est: *Nemo alius tali femina delectari potest, quam reges, tyranni, aut alii principes; hi enim solam formam spectant, et quoniam cum pluribus consuescere solent, animi vitia talis feminae, solius libidinis gratia ea vtentes, non cognoscunt, aut non curant.*

V. 70.

V. 70. θυμὸν ἀγλαίζεται] sc. κατὰ. ἀγλαίζειν est propriè *splendidum reddere*; in medio *splendidum reddere se*, vnde deinde ad animum translatum significat *hilarem reddere se*, *delectari*, *laetari*, vt h. l. et passim apud Homerum.

Ibid. τοιούτοις] Quorsum spectat hoc? num ad feminas huiusmodi in genere? possit sane, neque obstat diuersum genus, saepissime enim, personarum potius quam sexus habita ratione, masculinum adiectiuorum atque pronominum refertur ad feminas resque feminini generis, quod abunde docuerunt Cl. Cl. V. V. Ernesti ad Callim. H. in Del. 115., qui laudat iusto in his longiorem Clarkium ad Il. ε. 778., Brunck ad Eurip. Med. 316. pag. 380., Zeune ad Cyrop. V, 4, 39., quibus addi possunt v. Staveren ad Nep. Tim. cap. 2., et peculiari ad Atticos respectu haec pertractantes Bach ad Xenoph. de R. D. p. 21., et Koen ad Gregor. de Dial. pag. 25. Nec porro obiici potest transitus a singulari ad pluralem, quandoquidem numeros plurales referri ad singulares, quibus quasi pluralis inest, non minus constat, et post alios multos nouissime probatum est a Burmanno ad Propertium pag. 273. Non intercedam itaque, si quis illo modo intelligat. Attamen mihi minus durum, adeoque propius ac satius videtur, τὸ τοιούτοις neutro ge-

nere, vt ſaepe fit, referre ad venuſtatem, formae atque habitus elegantiam, morum ſuauitatem, quas poeta paullo ante commemorauerat.

V. 71–83. Miſeratur poeta maritos, quos cum coniuge ſimiae ſimili viuere oporteat. Talem enim eſſe non ſolum corpore maxime deformi, atque adſpectu foediſſimam, ſed etiam animo maligno. Comparatio cum femina apte inſtituitur; vtriusque enim prauitatem in ſimia eſſe maximam, conſtat. Hinc illa Plauti corporis deformitatem irridentis Mil. Glor. IV, 1, 42.

Pithecium haec eſt prae illa et ſpinturnicium.

cf. Salmaſius in Solin. pag. 377. E. Par. Comicus in Auib. 440. teſte Scholiaſte malignum coquum vocat ſimiam.

— ὁ πίθηκος — —.

— ὁ μαχαιρόποιος — —

cf. Lucianum l. c., Aelian. V. H. II, 40. cum Burmanno ad Met. Ouid. XIV, 95.

V. 71. 72. τοῦτο – κακὸν] Accuratius fuiſſet ταύτην κακὸν, vt v. 21. 22. τὴν – πόνηρον. Sed ea eſt indoles graecae et latinae linguae, vt pronomen, quod in eodem cum ſubiecto genere poni debebat, a praedicato pendere iubeant, haud dubie, vt ſonitus diſcrepantia diuerſorum generum euitetur. Confer Ionem apud Br. in Anal. Tom. I, pag. 161.

Οἶνος

Οἶνος Θυρσοφόροισι φίλος, μέγα πρεσβεύων
Διόνυσος.

Αὐτὴ γὰρ πρόφασις παντοδαπῶν λογίων.

vbi proprie maſcul. αὐτὸς ſequi debuiſſet τὸ οἶνος, v. Corte ad Sall. Cat. c. VII. Iungenda ſunt: Ζεὺς ὤπασε τοῦτο κακὸν μέγισον διακριδόν.

V. 73. ἄισχισα μὲν πρόσωπα] Haec conciſe extulit poeta, nam ſupplendum eſt ſiue ἔχει, ſiue αὐτῆς ἐσί. Grotius haec cum ſequentibus coniunxit, videturque adeo ſic accepiſſe: γυνὴ εἶσιν δι' ἄσεος γέλως (διὰ) ἄισχισα πρόσωπα. Sed praefero diſtinctionem Brunckii, qua etſi ſententiae paullulum conciſae fiunt atque abruptae, tamen minus duri habent, quam illa ratio Grotiana; nec poetam adeo dedecent, inprimis cum plures ſententiae tum exiſtant, quibus ſingulis propria ineſt vis.

V. 74. εἶσιν — γέλως] pro γελοῖα aut καταγελασθεῖσα, ſubſtantiua enim apud poetas locum adiectiuorum ſaepe occupant. Imitatur hancce dictionem Propertius III, 24, 21.

Riſus eram poſitis inter conuiuia menſis,
Et de me poterat quilibet eſſe loquax.

vbi lectu digniſſima eſt nota Burmanni pag. 700. Par vſus etiam in compluribus aliis ſubſtantiuis habetur, vt apud Eurip. in Hippol. 406.

Γυνὴ

Γυνὴ τε πρὸς τοῖσδ' ἔσ' ἐγίγνωσκον καλῶς
Μίσημα πᾶσιν.

h. e. *bene noueram, me tamquam feminam omnibus esse exosam*, ad quem locum doctissimam notam adscripsit Cl. Valckenaer. Eurip. Phoen. 728.

Καὶ μὴν τὸ νικᾶν ἐσὶ πᾶν εὐβουλία.

Theocr. XV, 20.

Πέντε πόνως ἔλαβ' ἔχθες, ἅπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ' ἔργῳ.

Propertius I, 2, 33., iterum ad exemplum graeci sermonis.

Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

Dissérunt etiam de hoc vsu poetico Clar. Viri Valckenaer ad Theocr. Adoniaz. v. 148. pag. extrema, et Brunck ad Apollon. Rh. IV, 1248.

V. 75. ἐπ' ἀυχένα — μόγις] Obscurus versus, praecipue ob verba ἐπ' ἀυχένα, quae si coniuncta vertimus *ad, versus collum*, id quod vnicuique primum in mentem veniet; sententia exoritur admodum insulsa et prorsus aliena ab hoc loco. Quid igitur? retrahamus praepositionem ad verbum et videamus, quid inde lucremur. Tum ἐπικινεῖσθαι accipiendum esset pro κινεῖσθαι, atque sensus foret: *ipsa breuis vix collum suum mouet.* At quid impedit, quo minus, etsi breui corpore sit, collum inflectere queat? Nihil aliud ergo relinquitur, quam vt, cum sen-

sus

ſus haud dubie ſit: *vix collum ob breuitatem ipſi-us mouet*, βραχεῖα ἐπ' ἀυχένα idem eſſe dicamus, quod βραχεῖα κατ' ἀυχένα, ἔχουσα αὐχένα βραχὺν, aut verba iungamus hoc modo: βραχεῖα (κατὰ) ἀὐχένα ἐπινεῖται μόγις collo ſc. Neutro tamen modo omnis abeſt durities. Alioqui praua diſtinctione laborare locum ratus interpungere tentabam poſt βραχεῖα, ita vt duae ſingulares exſurgant ſententiae, hoc modo: *breue collum habet; corpus ſuum aegre mouet.* Sed neque hoc ſatisfacit, neque integrum eſſe locum credo.

V. 76. ἄπυγος] Apte ad comparationem cum ſimia, quae nullas nates habet. In ἀυτόπωλος, fruſtra a me in lexicis quaeſito, haeſitabam aliquando. Sed optime me expediuit Praeſtantiſſimus Heynius, monens, a poeta fictum illud eſſe vocabulum, atque feminam notare breuis ſaturae, quae tota quaſi vnicum membrum ſit; quae vnice vera et ad ſenſum aptiſſima vocis interpretatio eſt. Pro ἄ, quod Grotius et Brunckius optime receperunt, Gesnerus et Stephanus male legunt ἄυ, nec melius ille coniicit legendum ὤ, quod potius admirantis eſt, quam lamentantis. Etiam Wintertonus exhibet ἄυ.

V. 77. ὅσις - ἀγκαλίζεται] pro ſimplici ὅσις ἔχει, quod proprium fuiſſet; ſed vt poeta exquiſitius praetulit.

V. 78. δήνεα - ἐπίσαται] Poetice hoc nihil amplius eſt, quam: *admodum vafra et callida eſt talis femina.* De ſcanſione huius verſus illud adhuc tironum cauſa monebo, ſyllabas εα in δήνεα tamquam vnicam eſſe pronunciandas, vt infra 102. in δυσμενέα, et in hymno in Cerer. 404. in ἄνθεα, vbi confer Cel. Ruhnkenium. Adde Clarkium ad Il. δ. 42. Tales contractiones omnino ſunt ſatis frequentes, quod vel ex noſtro carmine ſatis diſci poterit, in quo contrahitur θεὸς v. 4. et 7., θεοῦ v. 104., de qua voce olim ad Il. ε. 18. idem obſeruauit Clarkius; porro ρεος in θέρεος v. 39., βεος in παλιντριβέος v. 43., σεος in ἄσεος v. 74., de quo paſſim ad Iliada monuit idem Clarkius, quem conſule ad Il. β. 268. 811. v. 523. Atque eandem vocalium craſin metrum fieri iubet in voce ἱερὰ v. 56., ſecunda enim regio raro alium pedem praeter iambum admittit. Iam quoniam ſemel in hoc genus incidi, ne de ſingulis vbiuis monendum ſit, reliqua, quae ad rem metricam pertinent, notatu digna viſa in hoc carmine hic perſequar, atque hac nota complectar. In his praecipue notandus eſt v. 43. idemque maximam ſane difficulta-

cultatem habet; facile enim aliquis in ſecunda regione conſtituenda offendere poſſit, atque iſthuc ſyllabas τε | σπο | δι referre, vt ideo ſit dactylus. At quomodo is ibi ſtare vnquam poteſt? Equidem, quo omnis difficultas tollitur, ſyllabas ι | ης in vnicam confluere putauerim, nec tamen ſine exemplo, v. Brunckius viri metri peritiſſ. ad Anal. pag. 216. Melius expedire nos poterimus in v. 70., vbi ſecundam regionem videri poſſet obtinere ſpondaeus, qui ferri nequit. Eſt ibi diphthongus obſequentem vocalem breuis, vt ſaepe in hac atque ſimilibus vocibus, v. d'Orville Van. Crit. pag. 419. Vltimum denique, quod monendum videtur, eſt in v. 104., vbi ſyllabae η | αν per ſynizeſin ſunt efferendae, qualem ſatis eſſe obuiam docent Clarke ad Il. ε. 349., Brunck ad Anal. pag. 138., et qui a V. C. laudatur, Cel. Toup. in Cur. ad Suidam noviſſ. pag. 106.

V. 79. *γέλως μέλει*] pro *γελᾷ*, nam non ſolum vim *τοῦ curae eſſe* habet iſtud vocabulum, ſed etiam notat, *tractare, agere, facere id*, quod curamus, vt ex Homero ſcimus. Tam cum genitiuo quam cum nominatiuo rei conſtrui *τὸ μέλει* diſces v. c. ex Anacr. XXV, 4. et Bacchyl. IX, 5. in Anal. Brunckianis.

V. 80.

V. 80. τοῦδ' ὁρᾷ] Wintertonus legit ὁρῷ, quae vox nihili eſt. τοῦτο hoc loco non abundat, ſed vim addit potius, cf. ad v. 95. — ὁρᾶν hic loci eſt *ſtudere*; *cupere*, eleganter, vt ſaepe apud Graecos. Plato Crit. X. ὅρα, ὅπως μὴ ὁμολογῇς, v. Ienſium ad Lucianum T. I. pag. 378., Klotzium ad Tyrtaeum p. 114. Idem tradunt I. F. Gronouius et Drackenborch ad Liv. II, 12., de latinis vocibus *videre* atque *ſpectare*.

V. 82. ὡς μέγιστον] *quam maximum* Latinorum. De particula ὡς aduerbiis et adiectiuis ſaepe praepoſita videatur Bergler ad Alciphr. I, 30.

V. 83-94. Malis feminis hactenus deſcriptis tandem aliquam bonae notae addit poeta, quam cum ape comparat, laborioſam et ſedulam illam, atque vſui voluptatique mariti ſui omnibus modis velificantem. Vix neceſſe eſt, vt apes ſymbolum ſolertiae fuiſſe moneam. Quantopere enim ſedulae nominari mereantur, cecinit Virgil. in Georg. IV, 149-227. cf. Phocyl. l. c. et in gnomis v. 160., vbi eas appellat χρισοπόνους, et Tibull. II, 1, 50. De officiis bonae matris familias multa praecipit Xenophon in L. de R. D. cap. VII-X.

V. 83.

V. 83. *τὴν - λαβὼν*] Conciſe pro: *ὅσις αὐτὴν λαμβάνει, γαμεῖ, ἐκεῖνος εὐτυχεῖ.*

V. 84. *μῶμος οὐ προσιζάνει*] Senſus ſine dubio eſt: *haec femina ſola bonae indolis eſt, in nullam vituperationem incurrit*, duplex autem verba ſic explicandi ratio, altera, vt *μῶμος* tamquam Deus exhibitus ſit a poeta, qui dicatur *προσιζάνειν*, h. e. *premere, vrgere;* altera, vt *μῶμος* denotet *mores*, ſeu *vitia reprehenſione digna*, *προσιζάνειν* adeo i. q. ſupra *προσεῖναι* v. 53. Priorem eſſe magis poeticam quis dubitet? notandus in ea eſt ſingularis vſus verbi *προσιζάνειν*, cuius exemplum vix alibi reperias. Sed vide, an ſimiles voces ad eundem vſum reuocare poſſis apud Aeſchylum Suppl. 659.

—— *βαρὺς δ' ἐφίζει* (ſc. Ζεὺς.)

et apud Horatium Epod. V, 91.

Quin vbi perire iuſſus expirauero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus vmbra curuis vnguibus,
— — — — — —
Et inquietis aſſidens praecordiis,
Pauore ſomnos auferam.

Contra ſi quis poſteriorem rationem amplecti malit, ſolita poetis poteſtate accipiendum eſt *τὸ προσιζάνειν* pro *adeſſe*, qualem etiam ſimilia habent vocabula, de quorum elegantiis docte agit

Wyttenbach. V. C. ad Plutarchum de S. N. V. pag. 7. ſq. Caeterum, niſi contextus obſtaret, μῶμος actiue capi poſſet de probro, vituperatione, cui femina ipſa indulget. At obſtant verba πείνῃ - ὄιῃ, cum poeta in ſuperioribus feminis ſingulis μῶμον non reprehenderit.

V. 85. βίος] h. l. pro βίοτος, *res familiaris.* Archilochus XV, 5. apud Br. in Anal.

—— βίου χρήζων πλανᾶται —— ——

Solon VI, 72. in Anal.

Οἱ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖσον ἔχουσι βίον.

Atque hinc explicanda ſunt epitheta Terrae, φερέσβιος, πολύβιος, ἄβιος. Vide praeterea Cuperum Obſ. I, 17. et Loenſem in Miſc. Epiph. VI, 3.

Ibid. θάλλει] Metaphora deſumta a floribus omnes res dicuntur θάλλειν, quae in ſuo genere inſignes, egregiae ſunt, ſiue in bonam, ſiue in malam partem. Simonides XXV, 3. ap. Br. in Anal.

Οἱ βούλοντο πόλιν μὲν ἐλευθερίᾳ τεθαλυῖαν
Παισὶ λιπεῖν. —— —— ——

Sophocl. El. 259. —— πήματα —— ——

Ἀ' γὼ κατ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ἀεὶ
Θάλλοντα μᾶλλον ἢ καταφθίνονθ' ὁρῶ.

v. van Staveren ad Nep. Cim. c. III. et Corte ad Sall.

Sall. Cat. cap. XXXIX. Similiter vtuntur voce ἀνθεῖν. — κἀπαέξεται pro καὶ ἐπαέξεται.

V. 86. Φίλη δέ σὺν φιλεῦντι] Φίλη h. l. active notare idem quod participium φιλέουσα neceſſe eſt, niſi quis pro Φίλη δέ ſcribere malit Φιλεῦσα. Nec tamen illud exemplo deſtituitur; apud Pindarum enim Pyth. III, 9. Chiron habere dicitur νοῦν ἀνδρῶν Φίλον, *hominum amantem*,

V. 87. καλὸν γένος] *animi virtutibus ornatum.*

V. 88. ἀριπρεπὴς ἐν γυναιξὶν] *inſignis inter ceteras mulieres.* De ſimili ἐκπρεπὴς videndus Valckenaer V. C. ad Phoeniſſ. 171. Tibullus I, 3, 32.

—— *Delia* —— —— ——
Turba inſignis in pharia —— ——

V. 89. Θείη δ' ἀμφιδέδρομεν χάρις] Quo quid elegantius? Vulgare fuiſſet ἐσὶ aut πρόσεσι. Similis loci ſunt Anacr. XXVIII, 28.

Περὶ λυγδίνῳ τραχήλῳ
Χάριτες πέτοιντο πᾶσαι.

Horatius I. Od. 2, 33.

—— —— *Erycina ridens,*
Quam Iocus circumuolat et Cupido.

Non longe recedit ἀμφιχεῖν apud Heſiodum Op. 68.

Καὶ χάριν ἀμφιχέαι κεφαλῇ χρυσῆν Ἀφροδίτην.

— Praeteritum ἀμφιδέδρομεν pro praeſenti eſt v. Erneſti ad Xenoph. M. S. I, 4, 2. Hoogeveen ad Viger. p. 217. cf. ſupra ad v. 9. 15. 38.

V. 90. ἥδεται καθημένη] Verbis, laetitiam, triſtitiam, aut aliam animi commotionem exprimentibus plerumque participium adhaeret, cuius loco Latini gerundium fere ponunt. Archilochus XIV, 4.

—— μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο,
Μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο.

Sophocl. Antig. 540.

Ἀλλ' ἐν κακοῖς τοῖς σοῖσιν οὐκ αἰσχύνομαι
Ξύμπλουν ἐμαυτὴν τοῦ πάθους ποιουμένη.

Euenus XV. 3. ap. Br. in Anal. I, pag. 164.

Χαίρει κιρνάμενος (Βάκχος) τρισὶ Νύμφαις τέτρατος αὐτός.

vide V. C. Valckenarium ad Herod. III, 35.

V. 91. λέγουσιν] γυναῖκες ſc. Senſus: *inuita ſedet inter feminas, vbi de rebus amatoriis confabulantur.*

V. 92. 93. Sermo ſimplex atque vulgaris haec forſan ſic extuliſſet: τοῖαι γυναῖκες εἰσὶν ἄριστα τούτων, ἃς Ζεὺς ἀνδράσι χαρίζεται, quamquam me non latet pro τούτων, ἅς magis atticum eſſe ὧν.

ὧν. At ordo, quem poeta inſtituit, verborum, multo concinnior eſt atque doctior. Similem ſtructuram reperies apud Heſiodum Op. 36.

—— δίκαις, ἅιτ' ἐκ Διὸς εἰσὶν ἄρισαι.

pro δίκαις ἀρίσαις &c. apud Apollonium Rh. I, 548.

—— ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἱ τότ' ἄριστοι
Πόντον ἐπιπλώεσσιν —— —— ——

pro ἀνδρῶν ἀρίστων &c. Similiter proprium verborum locum inter ſe permutat Nepos in Dione c. 2. *Interim in* MORBVM *incidit Dionyſius, quo quum* GRAVI *conflictaretur &c.*

V. 94. *ad finem.* Subiungit nunc poeta quaedam de toto feminarum genere ſibi obſeruata, quae vniuerſe ſpectatae malae ſint, rei enim familiari maximo fere eſſe damno, maritoque eſſe ſolent dolori, adeo vt ille ne vnicum quidem diem laetus peragere poſſit; praeterea multas ex illis eſſe, quae ne minimam quidem malitiam, quam intus celent, vultu prae ſe ferant. Iam hic commode finis carmini imponi poterat. Sed poſterius dictum poetae aliud inde proficiſci ſolitum in mentem adduxit, quod vt ſubtexeret, e re eſſe videbatur. Nimirum cum plerumque accidat, vt mariti, vxoribus animi virtutes ſimulantibus vitiaque diſſimulantibus, nihil mali ſuſpicantes, ſecuri facti atque ſocordes ſuam quis-

que vxorem aliis putent meliorem; vicinos illorum ſtultitiam ridere ſolere. Vide ad v. 111.

V. 94. *ταῦτα*] Pronomen hoc nonniſi orationis intendendae cauſa locum hic habere videri poſſet. Attamen, ſi ſenſus eſſe debet; *ſed et alia mulierum genera praeter illa Iouis conſilio exiſtunt*, oratio importuna atque minus accommodata eſt. In mentem venire poſſit, interpungere poſt *φῦλα* et ſubaudire *ἐποίησε* hoc ſenſu: *alia etiam mulierum genera mihi in cenſum non vocata creauit Deus: ea omnia eius voluntate vivunt.* Iudicent acutiores. Mihi verſus ſcabri videntur atque corrupti, nec auctor ſim alicui, vt his atque ſequentibus immoretur, in quibus *ἀκριβεια* atque bonus verborum atque ſententiarum nexus deſiderantur; paſſim enim nonnulla vel excidiſſe vel male eſſe deſcripta atque interpolata, in propatulo eſt.

V. 95. *μένει*] Male vertit Grotius: *olim extitere et nunc adhaereſcunt viris*, reddendum potius erat: *ſunt atque ſemper erunt apud viros feminae.*

V. 96. 97. *Ζεὺς – γυναῖκας*] Iungenda ſunt haec inter ſe per appoſitionem, atque *τὸ τοῦτο* non ad pleonasmum referendum, ſed potius vim aliquam ſententiae addere putandum; quamuis illud

illud vbique facere iubeant d'Orville ad Chariton pag. 146. et Corte ad Sall. Cat. XXXVII. Quod, etiamſi interdum apud pedeſtris orationis ſcriptores locum haberet, apud poetas tamen neutiquam ferri poſſe videtur. Inde enim ſequeretur, illos otioſis atque inanibus verbis vſos eſſe ad verſus carminum ſuorum explendos, quod praeſtantiae ſingulorum minime eſt conſentaneum. Nec aliter pronomen mihi accipiendum eſſe videtur in locis aliquot adſcriptis, quae, ſi quis paullo accuratius conſideraverit, forte magis in meam ſententiam inclinabit. Theogn. 804.

Τόρνου καὶ ϛάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρὸν,
Εὐθύτερον χρὴ MIN, Κύρνε, φυλασσέμεναι.

Solon VI, 38.

Χ' ὅσις μὲν νούσοισι ὑπ' ἀργαλέοισι πιεσθῇ,
Ὡς ὑγιὴς ἔσαι, ΤΟΥΤΟ κατεφράσατο.

Moſchus IV, 81. ap. Br. in Anal. Tom. I. pag. 408.

Τῷ μὴδ' ἐξείπῃς ΤΟΓΕ, ἐμὸν θάλος, ὥς σεο ἀπηδῶ.

Adde Ienſium ad Lucianum T. I. pag. 296. — Similis ſententiae dicta veterum in feminas videat, qui talibus delectatur, apud Valckenaer. ad Hippol. v. 630.

V. 98. ἔχοντι τῷ] Hic verſus me mirum in modum exercuit, cum ob verba, tum ob ſententiam.

tiam. Corruptum eſt illud τῷ, ſi quid video, nec vllo modo ferri poteſt, etſi ἔχοντι τῷ inuerſa ratione eſſe poſitum ſtatuas pro τῷ ἔχοντι. Quae an locum habere poſſit valde dubito; ſi haberet, miſerum eſſet effugium. Coniecturis locum iuuare olim conatus ſum, quibus reponere tentabam: ἔχοντ' ἐν τῷ μάλιϛα, aut ἔχοντ' ἐν τοῖϛ μάλιϛα. Sed in iis nunc non acquieſco. In verſu ſanando tempus terere, atque ingenium torquere ſi eſſet operae, facilius loco mederi poſſemus legendo τοι cum Wintertono, cui fauet etiam v. 108. Enimuero optimum eſſe exiſtimo, ſi abeſſet putidus hicce verſus, qui non ſolum nil nouae ſententiae infert in contextum, et ſenſum habet elumbem atque poeta prorſus indignum, verum etiam orationem reddit aſperam atque ſterilem. Quare non poſſum non ſuſpicari, inſutum eſſe a librario, ſententiam mancam putante, atque non vidente, verba ἦν τ. κ. δ. ω. bene ad ſuperiora poſſe referri. Confecit illum fortaſſe e v. 68. atque deinde de ſuo expleuit, nam vides, ſaluo, immo meliore ſenſu, hinc poſſe faceſſere.

V. 99. διέρχεσθαι ἡμέρην] fere vt Lat. *exigere diem*, eleganter. Recordaberis ſimilis Salluſtiani *tranſire vitam* in B. C. cap. 1. vbi vide Cortium.

V. 100.

V. 100. ὅσις - πέλεται] Grotius legit πίλνεται, vt metro conſuleret; at ſyllabam πε ob ſequentem liquidam produci notauit Ill. Brunck. Eadem de cauſa Stephanus atque Wintertonus exhibent πέλλεται. perperam. — πέλεσθαι σὺν τινὶ aut, ſimplex συνεῖναι τινὶ, quod ſupra aderat v. 64., omnino de iis dicitur, qui conſuetudine alicuius arctiore atque familiaritate maiore vtuntur, vt de praeceptore atque diſcipulis, liberis atque parentibus, et inprimis de coniugibus, vt hoc loco. Idem eſt Heſiodo ναιετᾶν μετὰ Theogon. 591.

—— —— —— καὶ φῦλα γυναικῶν
Πῆμα μέγα θνητοῖσι, μετ' ἀνδράσι ναιετάουσι.

De cognatis phraſibus *eſſe cum* et *viuere cum* v. Bentley ad Horat. Sat. I, 3, 57. Brouckhuſ. ad Tibull. IV, 10. et Graeuius ad Cic. pro Coelio cap. 20. Alias proprium de hac re Graecis vocabulum eſt συνοικεῖν τινί.

V. 101. ἀπώσεται] Poeticum vocabulum pro ἀποτρέψεται. Archilochus I, 10.

—— —— —— ἀλλὰ τάχιστα
Τλῆτε, γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι.

Solon XV, 8.

Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσόμενοι.

— οὐδ' ἄιψα proprie eſt, *non ſtatim, non celeriter*,

ter; hoc autem loco eſt idem quod μόγις, *aegre*. Notandus hic vſus, quem et Homerus nouerat Od. γ. 145.

Οὐ — τ' ἄιψα θεῶν τρέπεται νόος ἀιὲν ἐόντων.

vbi melius verti poterat: *aegre flectuntur Dii.*

V. 102. Λίμον — θεὸν] Vt nunc legitur, multo accommodatius eſt, quam θεῶν, quod antea a Gesnero, Stephano, Wintertono legebatur. Non autem mirum videri debet, Famem vocari Deum, obſeruantibus, Graecos non modo omnia praeclara appellaſſe diuina, verum etiam res abſtractas atque allegoricas, quae magnum, mirum aliquid, ſupra poteſtatem et captum hominum poſitum efficere ſolent, Deos et Deas nuncupaſſe. Sic Honor, Fortuna, Spes, Plutus aliaque Dii ſaepe vocantur. Quid? quod a poetis dramaticis tamquam perſonae in ſcenam introducuntur. Nonnulla in hanc rem exempla laudando tironum rationibus conſuluerim. Pindar. Nem. IX, 86.

—— κέι-
νᾳ θεὸς (αἰδὼς) ἔντυεν αὐτοῦ
Θυμὸν αἰχματάν.

Sophocl. El. 179. Χρόνος ἐυμαρὴς θεός. Oppian. Hal. I, 500. Ζῆλος βαρὺς θεός, cf. Theogn. 638. 1114. 1132. Sophocl. Philoc. 1519. Eurip. Phoen.

Phoen. 535. Romani longius progreſſi allegoricis his numinibus templa extruxere.

V. 104. κατ' ὄιπον] pro ἐν ὄιπῳ. — ἢ — χάριν ſupple κατὰ aut διά. Senſus: *etiamſi maritus laetus ſit ob fortunam atque bona ſibi a Diis data, aut ob officia ſibi a hominibus praeſtita*, &c. Nimirum μοῖρα θεοῦ *fortuna* eſt, quam Deus dat ad exemplum Od. δ. 269., et χάρις ἀνθρώπου *gratia, officium, beneficium*, quod praeſtat homo, vnde patet, quam male Buchananus verterit: *hominis ergo*. Cf. Cl. Morum ad Iſocr. Paneg. pag. 44.

V. 105. ἐυρίσκειν μῶμον eſt h. l. *occaſionem obiurgandi, altercandi nanciſci*. Interdum vocabula ἐυρίσκειν atque *inuenire* ſignificant *accipere, nanciſci*. Theocr. IV, 13.

Δειλαῖαι γ' ἄυται, τὸν βωκόλον ὡς κακὸν ἔυρον.

Cicero Div. I, 17. *lituus, baculum inflexum ab eius litui, quo canitur, ſimilitudine nomen inuenit.*

Ibid. ἐς μάχην κορύσσεται] *ad rixam ſe accingit*. Proprie eſt κορύσσεσθαι *armare ſe galea*, et omnino *armare ſe*, vt paſſim apud Homerum. Hinc ducitur alia vis, qua notat *aggredi, impetu ferri in aliquem*, eius laedendi cauſa, vt apud Apollon. Rh. IV, 448.

Δυσμε-

Δυσμενέων ἐπὶ παισὶ κορύσσεο, (Ερως sc.)
δαῖμον, ἀερθεὶς,
Οἷος Μηδείῃ ϛυγερὴν Φρεσὶν ἔμβαλες ἄτην.

μάχη, vt dixi, est *rixa*, *contentio*, de quibus etiam saepe dicuntur μάχεσθαι, *bellum*, aliaque. Theoph. Char. XIV, 3. δεινὸς δὲ καὶ — χειμῶνος ὄντος μάχεσθαι τῷ παιδὶ, ὅτι σύκους οὐκ ἠγόρασε. et XXIII, 5. ὁ δὲ ἀλαζὼν τοιοῦτός τις, οἷος — τῷ παιδὶ μάχεσθαι, ὅτι οὐκ ἔχων χρύσον ἑαυτῷ ἀκολουθῇ. Hinc altercationum studiosi homines dicuntur μαχητικοὶ, apud Aristot. Rhetor. II, 4. v. Cuper Obs. III, 18. — Pro μολόντα apud Grotium legitur μολῶντα. Videtur olim lectum esse μολέοντα pro μολοῦντα, quod neutiquam esse spernendum arbitror.

V. 106. praetulissem οἰκίην, si in libris inuenissem, vt magis ionicum. Sic paullo supra οἰκίης v. 101. Suffragatur locus Perictyones apud Stobaeum Serm. LXXXIII. pag. 488, 46, vbi sic bonam atque honestam vxorem praedicat: οὐ μόνον ἐθελήσει τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ καὶ παῖδας, καὶ συγγενέας, καὶ δοῦλους, καὶ οἰκίην ξύμπασαν (σῴαν). Postremam vocem sensus atque nexus causa recte videtur addidisse Koen ad Gregor. de Dial. pag. 107. His iunge dicta Valckenario ad Herod. I, 107. — Ceterum suspicor, ante hunc ver-

verſum nonnulla excidiſſe, nam non bene cum ſuperioribus cohaeret.

V. 107. *δεχοίατο*] ionice pro *δέχοιντο*, quam vocem quorſum referam, neſcio, niſi ad homines, qui domum inhabitant, maritum et vxorem pertineat. Sed bene perſpicio duriusculum eſſe.

V. 108. *σωφρονεῖν*] Videmus, hoc verbum h. l. de femina modeſta, caſta, bona, dici, quod alioqui cum aliis cognatis vocabulis de temperantia, ſobrietate, abſtinentia a libidinibus, verbo de probitate animi atque innocentia vſurpatur. Atque ſic ſaepe bonae feminae ſimpliciter vocantur *σώφρονες*, aut *σωφρονεῖν* dicuntur. Eurip. Med. 912.

—— *γυναικὸς ἔργα ταῦτα σώφρονος.*

Lyſias pag. 92. E. T. *ὤμην τὴν ἐμαυτοῦ γυναῖκα σωφρονεσάτην.* Aelian. V. H. IV, 1. *Λύδοις ἦν ἦθος πρὸ τοῦ συνοικεῖν τὰς γυναῖκας ἀνδράσιν ἑταιρεῖν, ἅπαξ δὲ καταζευχθεῖσας σωφρονεῖν.* Ariſtoteles *σωφροσύνην* ad virtutes muliebres refert in Rhetor. I, 5, 6. *θηλειῶν ἀρετὴ, σώματος μὲν κάλλος καὶ μέγεθος, ψυχῆς δὲ σωφροσύνη* &c. Cum quibus ſi contuleris Valckenarium ad Phoen. 557. et Bentleium ad Horat. I. Sat. I, 38. de latina voce *ſapiens* graecam imitante, nihil amplius deſiderabis.

V. 109.

V. 109. λωβᾶσθαι, oppoſitum τῷ σωφρονεῖν, de vxore dicitur, quae intemperantia ſua, lubidine, rei familiaris negligentia aliisque marito iniuriam facit. Proprie eſt: *corpus laedere, vulnerare.* — μέγιστα pro aduerbio, vt ſaepe neutra pluralia, imprimis apud Atticos, v. Spanheim ad Ariſtoph. Pl. 46.

V. 110. κεχηνότος γὰρ ἀνδρὸς] Cum anteced. iungo: *marito oſcitante*, i. e. *nimis negligente atque ſecuro, nihilque mali ſubeſſe putante*, quam vocis poteſtatem apud alios raro occurrentem vſurpare ſolet Ariſtophanes, cuius Acharnenſes vide 133.

Ὑμεῖς δὲ πρεσβεύεσθε καὶ κεχήνατε.

ubi Scholiaſtes: ἐξαπατᾶσθε καὶ ἔννεοὶ ἐσέ. Lyſiſtr. 427.

Τί κέχηνας, ὦ δύσηνε; ποῖ δ' ἂν σὺ βλέπεις
Οὐδὲν ποῶν, ἀλλ' ἢ κατηλεῖον σκοπῶν;

Cf. Equit. 752. et ibi Caſaubonum. — In Wintertoni exemplo μεν eſt pro γὰρ. Sed hoc, ſignificans *ſcilicet*, videtur exquiſitius.

V. 111. Senſus eſt: *vicini gaudent errore talis mariti, ſuam vxorem caſtam modeſtamque putantis, atque ſibi imponi, ab eaque damnum rei familiari inferri, ne ſuſpicantis quidem.* In quo ſane miraberis nouam τοῦ ἁμαρτάνειν notionem, quae

quae ſe antea nusquam mihi obtulit. In verbis praeterea enallagen ſollennem accuſatiui et nominatiui deprehendes, vt adeo: χαίρουσ' ὁρῶντες καὶ τὸν, ὡς ἁμαρτάνει dictum ſit, pro χαίρουσιν ὁρῶντες, ὡς ἐκεῖνος ἁμαρτάνει. Ratio huius enallages eſt haec, vt ſubiectum, quod in primo caſu poſtum locum in poſteriore membro capere debuiſſet, quarto caſu indutum in priori illum obtineat. Exempla in re nimis trita afferre piget. Satis ſuperque enim vtrique linguae communem elegantiam bene illuſtrarunt viri docti, niſi quod nonnulli illam ad ſolam dialectum Atticam referre voluiſſe videantur, vt Gregorius de Dial. Att. §. LXII. et Kuſter ad Ariſtoph. Pl. 56., quo nomine ille iam notatus eſt a Koenio pag. 53. Praeter hos videantur Hutchinſon ad Xenoph. C. E. pag. 136., Duker ad Thucyd. III, 51., Taylor in Ind. ad Lyſ. ſub voce *accuſ.* nro. III., Dawes Miſc. Crit. pag. 148., Dauies ad Cic. N. D. I, 26., et Interp. ad Liv. II, 57. Non autem putandum eſt, accuſatiuo peculiarem eſſe iſtam cum nominatiuo permutationem, nam per omnes caſus valet. De genitiuo videatur Abreſch Diluc. Thucyd. pag. 204.

V. 112. τὴν ἥν] pro τὴν ἑαυτοῦ et μεμνημένος (ἀυτῆς ſc.) αἰνέσει (ἀυτὴν) loco ſimplicis αἰνέσει, poetice. Futura αἰνέσει atque μωμήσεται

verſu

verſu ſequenti, quod vulgo notum non eſt, ponuntur pro praeſentibus aut potius pro aoriſtis, plerumque optatiuis, quod paſſim animaduerterunt viri docti, vt Graeuius ad Heſ. Op. 183. Erneſti ad Callim. H. in Dian. v. 222. et Hoogeveen ad Viger. pag. 202. Eandem futuri proprietatem olim obſeruaſſe mihi videor in Homero Il. α. 80.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.

Od. ε. 249.

Τόμφοισι δ' ἄρα τήν γε καὶ ἁρμονίῃσιν ἄρηρεν,
Ὅσσον τίς τ' ἔδαφος νηὸς τορνώσεται ἀνὴρ
Φορτίδος εὐρείης —— —— ——

in Theogon. Heſ. 750.

—— ἡ μὲν ἔσω καταβήσεται, ἡ δὲ θύραζεν
Ἔρχεται —— —— —— ——

Nox nempe et Dies.

V. 113. pro θατέρου iuſſu Brunckii reſcripſi θουτέρου, quod etiam apud Gesnerum et Grotium habetur, atque cum ionica dialecto magis conuenire videtur. Vlitatius apud Atticos eſt τὸ θάτερος, videnturque adeo librarii noſtram lectionem, ſibi minus cognitam, in magis ſolitam mutaſſe.

V. 114. ἴσην – γινώσκομεν] Quamquam nihil magnopere vrget, melius tamen δὲ pro γὰρ accipi

accipi poſſe videtur, nam ſic cohaerere ſententiam puto: *gaudent vicini errore mariti; nos homines enim non ſentimus, cum alienis malis laetamur, nos iisdem eſſe adfectos*, ex quo, me in γινώσκομεν ἔχοντες participium ἔχοντες capere pro infinitiuo ἔχειν, apparebit, participium enim loco infinitiui, ratione ab illa, quam ad v. 90. vidimus, diuerſa, iis praecipue verbis adiungi ſolet, quae ſenſum, iudicium, opinionem, ſimiliaque exprimunt; quod, poſtquam haec ſcripſeram, etiam d'Orvillio ad Charit. pag. 52. et Valckenaerio V. C. ad Herodot. III, 1. obſeruatum eſſe vidi. Exempla aliquot ſubiecta haec diſertius declarabunt. Ipſum noſtrum γινώσκειν cum participio pro infinitiuo eſt apud Thucyd. II, 4. ὅτε δὲ ὡς ἔγνωσαν ἀπατήμενοι et apud Xenoph. Cyrop. VII, 1, 5. Ὡς — ἔγνωσαν οἱ πολέμιοι πολὺ ἑκατέρωθεν ὑπερφαλαγγοῦντες &c. Heſiodus Op. 294.

Ὅς —— —— μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται —— ——

vbi ἀκούων eſſe pro ἀκούειν iam Graeuius vidit. Notum apophthegma Simonidis: μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, in quo eadem linguae proprietas eſt. Adde Perizonium ad Aelian. V. H. III, 17., Cel. Valckenaer ad Eurip. Phoen. 711., ad Hippol. pag. 196. D., ad Herodotum III, 72., ad quem I, 77. cf. Weſſeling., Zeune V. C. ad Cyrop. II,

3, 11. et Burmann ad Propertium pag. 270., vbi oſtendit poetam imitari graeca, cuius verba ſunt II. El. X, 8.

Viſura et quamuis numquam ſperaret Vlyxem,
Illum expectando facta remanſit anus.

vbi *viſura* eſt pro *ſe eſſe viſuram*, quam participii in latinis elegantiam illuſtrat etiam Hoogeveen ad Viger. pag. 341.

V. 115. Hic verſus modo adfuit, vnde alterutro loco ſuppoſitus iudicari poſſit. Neutro vero, ſaluo contextu et ſenſu, tollitur; quare longe abſum ab eo, vt hoc faciam, qui in Homero ſaepe eosdem verſus recurrere non ignorem.

V. 116. Senſus huius verſus ſatis expeditus eſt. Vnica vocula πέδῃ laborat, atque vitii eſt manifeſta. Dicat aliquis, δεσμὸν ἄῤῥηκτον πέδῃ eſſe periphraſin pro ἄῤῥηκτον πέδην. At talem periphraſin ignorat graeca lingua, in qua caſus tertius a primo caſu pendens locum habeat, quem e lege linguae alias ſecundus caſus tenet. Refingam itaque aut πέδης aut πεδῶν, facile enim littera Σ in fine verſus, aut ſupra litteram η pictum, vt fieri ſolebat, deleri poterat. Similis corruptelae exemplum affert Brunck V. C. ad Anal. pag. 194. Hanc emendationem locus Aeſchyli in Prom. v. 6. confirmat.

Ἥφαιϛε, σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιϛολάς,
Ἃς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, τόνδε πρὸς πέτραις (Prometheum puta)
Ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι
Ἀδαμαντίνων δεσμοῖσιν ἀῤῥήκτοις πεδῶν.

Poſtremus verſus ſic, et quidem recte, vt videtur, conſtitutus eſt a Cl. Brunckio, et iam dudum a Stanleio, vbi ad emendationem ſuam probandam noſtro loco vtitur. Simillimus praeterea locus Solonis meretur conferri, qui extat apud Brunck. in Anal. Tom. I. nro. XII. v. 33. p. 69.

Εὐνομία δ' εὔκοσμα καὶ ἅρτια πάντ' ἀποφαίνει,
Καὶ θαμὰ τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας.

V. 117. ἐξ οὗ] ſc. δεσμοῦ, aut κακοῦ, ſi quis malit. Fruſtra autem allaborauerit, qui bonum ſenſum ex his elicere velit, nam vix ſani aliquid ineſt. Hiulci ſunt poſtremi hi verſus haud dubie, mutili atque ſub finem truncati, nec digni adeo, vt aliquis bonum otium in iis conterat. Sententiae ſimilitudo nonnulla in Theogn. 817. ineſſe videtur.

Ἐς πολὺ ἀῤῥηκτον κακὸν ἥκομεν, ἔνθα μάλιϛα,
Κύρνε, σὺν ἀμφοτέρους Μοῖρα λάβοι θανάτου.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag. 6. Opinionem meam, noſtrum carmen eſſe fragmentum maioris carminis gnomici confirmare videtur Athenaeus II. pag. 57., vbi ſecundum librum ex iambis Simonidis laudat.

— 10. v. 36. lege *Φίλοισι* — v. 42. *πόντος*.

— 12. v. 69. l. *σκηπτοῦχος* — v. 85. *κἀπαέξεται* l. pro *καὶ ἀπαέξεται*.

— 13. v. 106. l. *ἐσιν*. — pag. 14. v. 109. punctum poſt *λωβωμένη* tolle, et colon pone poſt *κεχηνότος*.

— 17. lin. 20. pro *necdum* l. *neque* — pag. 18. lin. 10. l. *ſpectaculum*. — p. 19. lin. 3. pro 81 l. 83. — pag. 24. lin. 20. l. *aduerbiis*. — pag. 26. lin. 6. pro 318. l. 217.

— 27. Simillima verbi *κεῖσθαι* notio eſt etiam apud Homer. Od. ζ. 26. et 59. π. 35., vbi vt noſtro loco neglectum quendam atque incuriam inuoluit.

— 28. pro *ἠμένη* Steph. legit *ἐιμένη* — Paullo inferius dixi aſtutos homines dici *ἀλώπεκας* apud Alciphr. Minime. Ibi timidi homines ſic vocantur. Laudandus erat potius locus Epicteti I. Enchir. 3., quem cum illo confuderam.

Pag. 29. *ſub finem* memoriae lapſum ignoſce atque corrige. Nimirum in loco Odyſſeae non Mercurius ἀλιτρὸς nominatur, ſed Vlyſſes a Calypſo, verebatur enim ille, nequid mali in ſe moliretur nympha, cum rate eum mare traiicere vellet. De voce ἀλιτρὸς adeatur Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. v. 2.
— 41. lin. 22. expunge locum Liuii, nam nihil iſthuc facit. — pag. 42. lin. 7. pro 235 l. 215. — pag. 44. in verſibus Propertii l. *non*. pag. 45. lin. 19. pro 21. l. 12. lin. 20. pro 487. l. 457.
— 46. ad primam notam. Si noſtrum carmen fragmentum eſt ex iambis Simonideis, quorum librum ſecundum Athenaeus II, p. 57. laudat; is, ad quem carmen ſcriptum erat, Telembrotus quidam fuit ſecundum eundem Athenaeum XIV. pag. 658. C.
— 50. punctum deleatur poſt ἔργα in citatis Homeri verſibus.
— 63. Quoniam Tibullus Heynii ad manum non erat, errorem commiſi, quem ex nota V. S. facile corriges.
— 68. in verſibus Moreti lege *ſubſidit*.
— 81. Forte fortuna in locum Aeſchyli in Prom. 275. incidi, qui priorem meam τοῦ προσιζάνειν interpretationem mire confirmat,

mat, nam et ibi huic voci rarior illa vis adiuncta esse videtur. Verba sunt:

—— —— ταυτά τοι πλανωμένη
Πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει.